



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XIII. Peccator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

§. IV.

Pacem facientes.

Beati pacifici. Matth. 5. 9. Grævus, & Syrus: *Beati pacem facientes.* S. Hieron.

beati pacifici; qui primò in corde suo, deinde inter fratres dissidentes, pacem faciunt: quid enim prodest? alios per te pacari; cum in tuo animo sint bella vitiorum. Sylveira hic.

TITULUS XIII. PECCATOR. MISERIE ILLIUS.

§. I.

Descendit à Jerusalem.

Num. 1.

Incidit in latrones. Luc. 10. 30. Utinam Domine Jesu ad me misericordiâ motus digneris accedere; qui descendens ab Jerusalem in Jericho; prorsus scilicet de summis ad infima, de vitalibus ad infirma, in Angelos tenebrarum incidi: qui non solum gratiæ spiritualis mihi vestimentum abstulerunt; sed etiam plagis impostis semivivum reliquerunt. Utinam peccatorum meorum vulnera, datâ mihi recuperandæ salutis fiduciâ, alliges; nè deterius faveant, si sanari desperent. Utinam oleum mihi remissionis adhibeas, & vinum compunctionis infundas. S. Gregor. Naz. in Ps. 50. Descensus ab Jerusalem averso est à pace, à virtute, à quiete. Male sibi providet, & ad gehennam se parat, qui à pace fecit abscessum. Sim. Cas. 1. 6. c. 10.

Quid tibi displicuit, ô descendens, in domo virtutum; ut ab ipsâ descenderes, aut egredere portas pulchritudinis ejus? Displicuit tibi ficus? fundata est in montibus sanctis, in altitudine divinorum bonorum. Displicuit tibi habitatio? an in ipsâ existens varios ex defectu parietum timebas incurfus? *Qui consistunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitât in Jerusalem.* Ps. 124. 1. An displicuit regalis auctoritas? expedit tibi anima, ut regaris; sed pacificæ civitatis Rex pacificus est. An non placebant tibi Prophetæ? cautum te faciebant; ut pavidus, atque paratus, divinum expectares adventum. An Sacerdotes tibi faciebant discrimen? nonne Sacramentis sanabant putrida tua? & orationibus, atque sacrificijs, pro te interpellabant ad Dominum? An Prædicatorum declamatio tuis tadium inferebat? sed hoc debebat tibi esse ad gaudium: quia dabant Creatoris notitiam, Redemptoris amorem. An tibi odio erat templum? locus est orationis, & reconciliationis ad Deum. An tibi displicebat propitiatorium? Christum, qui est vera charitas, & propitiatio pro peccatis, non oportebat dimittere. Quid est in domo pacis, in domo virtutum, in Ecclesia Dei, quod tibi displicet? qualis est, cui displicet visio pacis? &c.

Sim. Cas. 1. 8. c. 38. vide locum fusissimè de super.

Incidit in latrones. ib. Latro dicitur, qui aufert invito domino alienum. Hoc omnis peccator facit pro eo, quod jure creationis omnis homo, velut omnis creatura alia est Dei. Peccantes omnipotenti Deo, nos ipsos latrocinamur, atque furamur. Nec non jure redemptionis factæ per sanguinem sibi vendicat nos Salvator, ut vita nostra referatur ad eum. Cum igitur peccando ab eo avertimur, ad creaturam convertimur; quid aliud facimus, quam nos ipsos more latronum rapimus ipsò invito. Id. ib.

Et plagis impostis. ib. Pessima fit plaga peccati, quæ consuetudine longâ infecit. &c. Id. ib.

Proponitur hîc multiplex peccatorum miseria. Privant cœlesti gloriâ: *descendebat ab Jerusalem. Incidit in latrones;* potestatem demonum: bonis gratuitis expoliant; vulnera inferunt, quibus integritas humanæ naturæ violatur. Samaritanus Christus: iter ejus Incarnatio: jumentum caro ejus. S. Thom. Aqu. D. 13. Pent.

Num. 2.

Peccator est filius prodigus.

Luc. 15.

Pro Deo idola coleas naturæ bona universa consumpsit: & consumptis omnibus, cœpit egere virtutibus, derelicto fonte virtutem. *Facta est fames valida* per regionem illam. Omnis locus, quem Patre absente incolimus, famis, penuriæ, & egestatis, est. S. Hieron. ep. 146. ad Damascum de filio prodigo.

Peregrini sumus, quamdiu in hoc Mundo sumus: nam in hoc Mundo est proprietas hominum peccatorum; sed exilium est Sanctorum. Nam mali sunt hîc tanquam in propria patria; sed boni sunt tanquam in patria aliena. Hinc Cain *edificavit sibi civitatem.* Gen. 4. 17. Abel verò, quia filius Dei, & peregrinus, nullam. S. Bonaventura l. 69.

Porci ipsi maligni spiritus sunt: quia in fœtore, & vitiorum stercore, delectantur. Hos autem porcos illi pascunt, qui eorum voluntati obediunt, eorumque desideria complent. Superbia, luxuria, avaritia, & similia, siliquæ sunt; quibus maligni spiritus nutriuntur. His

autem ventrem suum peccatores implere cupiunt: quia præ nimio peccandi desiderio his satiari non possunt. Quoties enim amplius peccant, tanto amplius peccare desiderant. S. Euseb. Emis. Sabb. D. 2. Quadr.

Surgam, & ibo &c. Profecto se cecidisse cognoverat, qui surrectioni se aptat: & remotum abscessum cognoscit, qui reditum parat. Sub impio tyranno tabuerat, qui repedit ad patrem. Sim. Cas. l. 6. c. 16.

Et surgens venit ad patrem. Duos perniciosos recessus se fecisse cognoverat, duosque reditus fecit. A se recesserat; proinde in se reversus optima quæque deliberat. Nec non à patre, cum ivit in regionem longinquam; de qua nunc surgens venit ad patrem. Id. ib.

Et peregrè profectus est. Ecce habes alium malè peregrè. Ille recessit à Jerusalem; iste discessit à patre: ille Jericho; iste regionem longinquam. Sed o malè peregrè fili, quare recessisti à patre? O anima depravata; quare te elongasti à Deo; Jerem. 2. 5. *quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis?* Quid iniquitatis habet altissimus? cum nemo sit bonus, nisi solus Deus. Estne invidus? neque æqualem, neque superiorem habet. Estne avarus, aut parcus? omnia possidet; & nihil sibi minuitur, cum largitur. Estne iracundus? nullæ passionis Deitatem attingunt. Dicent forte: punit, flagellat. Et hoc; ut non discedas ab eo; aut si recessisti, redeas ad eum: sine quò tibi nunquam, & nusquam tibi bene; semper, & ubique tibi malè, succedit. Id. l. 8. c. 40.

Causam recessus non dedit omnipotens; nos adinvenimus deviationis causam. Non cogit recedere, qui funiculis amoris omnes ad se trahit. Nemini dixit, de domo subtrahere pedem; satiatus sum, odi te. Nemini scandalum displicentiæ præparavit: tua fuit adinventio, ut abires in regionem longinquam. Id. ib.

Ubi est triticum, & vinum? Thren. 2. 12. Notandam: quòd parvulus, & lactens, ipsi sunt adolescentior filius, generosæ nobilitatis indoles; sed suâ pervagatione, & consumptione rerum, inopes. Unde norunt, quibus in domo patris ubi sint cibis. Non enim ajunt: ubi est hordeum, vel siliquæ vel talia hujusmodi, quæ famelici gratanter accipiunt; sed *ubi est triticum, & vinum?* Alioquin, si cum patre essent, aut ad patrem redirent, animas fame non exhalarent. S. Paschasius hic.

Apertissime ad scopum parabolæ, & intentionis Christi, S. Hieron. ep. ad Damas. Titus, Bostren. Euthym. Theophylactus, &c. docent: quòd duo illi filij significent justos, & peccatores, sive Gentiles, sive Judæos. Senior notat justos, junior peccatores. Sylveira in Luc. 15. c. 27 de filio prodigo. q. 1.

Prodigus non dixit omnia reversus ad patrem, quæ decreverat dicere: nam ultima verba, *fac me sicut unum de mercenarijs* tacet. S. August. cum enim panem non haberet, vel mercenarius esse cupiebat: quòd post osculum patris generosissime jam dedignatur. Escobar t. 6. Par. Chr. l. 12. sect. 3. §. 2.

Num. 3.

Peccatoris alia figura, & exempla.

Adam ubi es. Gen. 3. 9. Velut latenti, & celanti se à divinitate, Adæ dicitur hoc: non quòd Adam conspectum Domini latere potuerit; sed quòd peccatrici conscientie nullus locus tutus, vel certus, sit; dum metuit deprehendi. S. Maximus hom. 3. de poenit. Petri.

Egressus Cain à facie Domini, habitavit projugus in terra ad Orientalem plagam Eden. Gen. 4. 16. Non te allicit Oriens lucis suæ suaviò: peccanti enim, exultantique à Deo, nox paratur in luce, occasus in Oriente. Nusquam enim non miser est, qui à Dei vultu abit. Filium prodigum respice à patre fugientem ad siliquas: synagogam intueri, quæ Christi oblectata Evangelio catenis, & gladijs, perit. Convivas contemplare. Luc. 14. 19. quibus cum cœna regis invisâ esset, boum quinque juga imposita sunt. Oliva l. 2. Strom. 5. Et aliud cecidit inter spinas. Luc. 8. Cumque invenisset eam Angelus in solitudine. Gen. 16. 7. Fugit è domo Abrahæ contumax Agar. At quò evasit? in Carmelum? aut ad Jordanis ripas? Nihil elici commodius ab Angelo potuit, quò Agar ad saniorum frugem reduceret: *unde venis? & quò vadis?* Id. ib.

Ut iret cum eis in Tharsis à facie Domini. Jon. 1. 3. Vitaturus Dei faciem Jonas naulum dedit, & cum Ethnicis navigavit.

Quò vadis infelix? à facie Domini. Non hoc rogavi: quò recedas? quæro; non unde? Et quia metam à Deo fugiens non cogitas, monebo te. Naulum primò solves; nè vel ipsa calamitas te gratis eridat. Exhaustâ arcâ exhaurietur & navis: eris piacularis hostia in periculo naufragij: projiciaris in mare, haurieris à ceto. En quò evasurus sis à Deo profugus. Noluisti frumentò abundare, spinis obrueris: lac noluisti; amarum bibes: ubera noluisti; verbera senties. Id. ib.

Abijt unus de duodecim. Matth. 26. 14. Judas infelix verè abijt, Apostolatium suum dimisit, Episcopatum suum alteri reliquit; *abijt in consilio impiorum:* abijt à Deo, stetit cum diabolo. S. Rupertus lib. 10.

Et egressus inde Jesus, secessit in partes Tyri, & Sidonis. Matth. 15. 21. Existimandum est; quemque nostrum, ubi peccat, in finibus esse Tyri, ac Sidonis, sive Pharaonis, sive Egypti, aut alterius cuiuspiam; qui sit extra Dei distributionem. Rursus, ubi mutatur à malitia ad virtutem, egreditur à vitiorum finibus; venit autem in fines partis Dei. Orig. p. 2. in c. 13. Matth.

Tunc Discipuli omnes relicto eò fugerunt. Matth. 26. 56. Sim. Cas. hic: quia reliquerunt, fugerunt: quia relinquens Deum relinquit securitatem; ideo agit in timorem; ideo fugit; & relinquens vitam fugit in mortem. Relinquit dulcedinem, & intrat in amaritudinem: relinquit fidum amicum; & invenit hostem.

Et

Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos. Luc. 15. 5. Portatur in humeris, quia ipsa non poterat ambulare. Tertull. multum enim errando laboraverat. Efcob. t. 6. Par. Chr. l. 11. p. altera sect. 5. obs. 4.

Abijt unus de duodecim. Matth. 26. 14. Judas infelix verè abijt, Apostolatium suum dimisit, Episcopatum suum alteri reliquit; *abijt in consilio impiorum:* abijt à Deo, stetit cum diabolo, S. Rupertus lib. 10.

Num. 4.

Textus Bibliici.

Et ascendebat. 1. Reg. 1. 3. Tota vita justorum est ascensus: è contrario tota vita impiorum descensus. Hugo Card. hic.

Via impiorum tenebrosa; nesciunt, ubi corrumpant. Prov. 4. 19. Tenebrosa dicitur propter ignorantiam Jer. 23. 12. *via eorum erit quasi lubricum in tenebris.* De utroque Pl. 34. 6. *fiat via illorum tenebra, & lubricum.* Propter immunditiam lapidosa. Eccl. 21. 11. *via peccantium complanata est lapidibus.* S. Bonaventura in Pl. 118.

Percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum custodes murorum. Cant. 5. 7. Non multò pòt in Dilectum offendit; & fortiter adeò charitatis brachijs adstrinxit; & separari non velit. Cant. 3. 4. *tenui eum, nec dimittam &c.* Cur, quæ sponsum adeò arctè tenet, ut eò spoliari nequeat, pallium fixè adeò non tenuit, ut nudari nequiverit? O digna sponsæ celestis studia! vulnerari, spoliari, contemnit: hoc solum timet; nè à sponso vel tantillum separetur. Naxera in Jos. 17. 5. 12.

Ambulavimus vias difficiles. Sap. 5. 7. Mali Christiani lassati sunt triplicè viâ ambulantes: alij quidem viam montosam vadunt, ut superbi, & ambitiosi: alij viam lapidosam, ut avari, & contentiosi: alij viam lutosam, ut gulosi, & luxuriosi. Hugo Card. hic.

Quasi à facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te. Eccl. 21. 2. S. Chrysof. hom. 8. in ep. ad Rom. Notat Tò. *si accesseris.* Non enim, inquit, peccatum ad nos accedit; verum nos ad illud confugimus. Cornelius hic.

Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis. Jer. 21. 8. Tropol. via vitæ, est studium virtutis, & legis Dei: via mortis est peccatum, ac legis, & voluntatis Dei, prævaricatio. Utramque Concionatores sæpe populo ob oculos ponant: ut, cum multi sint vocati, pauci electi; cumque multi ingrediantur viam mortis, pauci viam vitæ. Quisque amans salutis suæ satagat cum paucis fugere de incendio Sodomæ, & salvare animam suam; ut per viam vitæ ad vitam æternam evadat. Cornelius hic.

Sententia Patrum.

Tantò magis quisque deserit Christum, quantò magis diligit, quod improbat Christus. S. Aug. de Civit. l. 21. c. 27.

Magna hominis miseria est, cum illo non esse, sine quò non potest esse. Id. l. 14. 12. de Trinit.

Hinc maxime commendatur, quale bonum sit Deus; quando nulli ab eo recedenti bene est: quia & qui gaudent in mortiferis voluptatibus, esse sine dolorum timore non possunt. &c. Id. de Genesi ad lit. l. 11. c. 5.

Quomodo fuga fit à Deo? quemadmodum potest esse, ut procul quis sit ab eo? quomodo fit divisio? voluntate, & animò: locò quippe fieri nequit! Peccator ergo fugit. - Quò fugis miser? quò fugis vitam, & salutem tuam? si Deum fugis, ad quem fugies? si lucem fugis, quò respicies? Si vitam fugis, unde postea vives? S. Chrysof. s. 11. in c. 1. ad Philippenses.

Peccatum, & iniquitas, non ascendit sursum? sed semper ad ima, & inferna, descendit. Origenes hom. 12. super Numeros.

Profectus in regionem longinquam uni civium legitur adhæsisse: quem ego non alium, quàm unum ex malignis spiritibus intelligendum puto. S. Bernardus s. 8. de div. affection. anima.

§. III.

Peccator est cæcus.

Num. 1.

Figura.

IN tenebris collocavit me. Thren. 3. 6.

Moraliter anima amissò lumine collocata in tenebris, quasi mortua in sempiternum: nec se ipsam, qualis sit, quàm misera, quàm infelix, quibusve oppressa malis, & nudata bonis, videre valet: auferuntur enim judicia Dei ab hujusmodi anima. Hoc semper inimicus gaudet, nè se misera anima de tenebris ad lucem explicare queat. Hinc Philisthæi capto Samson oculos eruunt. Judic. 16. 21. ac deinde cæcum ad molam mittunt: ut semper in circuitu gyrans viam vitæ privatò lumine nunquam inveniat. Hinc quoque Sedecia capto, Jer. 39. 7. Nabuchodonosor primùm effodit oculos; deinde vincitum in cavea Babylonem ducit; nè unquam ultra lumen videat. S. Paschalius in Thr. hic.

Ipsam non videbit. Ezech. 12. 13. Sedecias est schema peccatoris, qui à Nabuchodonosore, id est, damone, oculis, id est, consideratione, & intelligentiâ, privatur; ut in Babylonem, id est, infernum, ducatur. Cornelius hic.

Cæcus iste secus viam. Luc. 18. 35. est Christianus existens in peccato mortali; qui non est in via. S. Vinc. Ferr. s. 1. Quinquag. Horrendum malum utraq; cæcitas: una, quæ corpus; altera, mentem obtenebrat: una defectum præostendit naturæ; altera gratiæ: una obijcit, nè creaturas corporeas; altera nè Creatorem, & ejus bona invisibilia, speculemur. Cæcus corpore privatur visibilibus gaudijs: *quale gaudium erit mihi, - qui lumen cæli non video.* Tob. 5. 12. mente cæcus ab invisibilibus lætitiis exclusus est. Sim. Cals. l. 5. c. 32.

Pecc.

Peccator assimilatur cæco sedenti ad solem: nam, cum in sole consistit, ipse radijs solis perfunditur; sed tamen lumen non videt, quò illustratur. Sic peccator, cum peccat, licet peccati delectatione, & ardore, cæcatus ipse non videat Deum, neque attendat ad ipsum; Deus tamen, cui omnia patent, bene conspiciat illum. Geminiani l. 9. c. 57.

Num. 2.

Exempla, & textus.

Ex Veteri.

Abcondit se Adam - à facie Domini. Gen. 3. 8. Peccatum ita mentem obcæcat; ut, cum Adamus in statu innocentia esset sapientissimus; post peccatum adeo obcæcatus; ut crederet, locum non deesse, ubi oculos Dei latere posset. Diez. conc. 1. D. 7. Pent. Vide, quam insipientes faciat peccatum: abscondere se tentant à Deo, qui ubique præsens est. Talis est peccantium consuetudo; ut tamen occultari non possunt, occultari tamen velint, & studeant. S. Chrysostr. hom. 17. in Gen.

Addidimus universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem. 1. Reg. 12. 19. Persuasit Samuel populo peccati cognitionem. Nam sciebant quidem, se, relicto Deo, novum sibi regem postulasse: sed crassis peccati sui tenebris obcæcatus, se in ea re grave crimen incurrisse nesciebat; seu potius non curabat. Auditò tamen Samuele primum agnovit dicens: *addidimus* &c. Mendoza in 1. Reg. 12. 19.

Talis est, & via mulieris adultera, qua comedit, & tergens os suum dicit: non sum operata malum. Prov. 30. 20. Talis fuit & Synagoga; ad quam Deus Jer. 2. 23. *quomodo dicit, non sum polluta, post Baalim non ambulavi.* Vide *vias tuas in convulle; scito, quid feceris.* Talis Saul 1. Reg. 15. 20. Imò *audivi vocem Domini, & ambulavi in via, per quam misit me Dominus.* S. Cyprianus l. 1. ep. 3. primus felicitatis gradus est, non delinquere; secundus, delicta cognoscere. Pl. 50. 5. David postulat lavari, dolet &c. *quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Mendoza ib.

Domine, exaltet manus tua, & non videant: videant, & confundantur. Il. 26. 11. S. Gregor. mor. l. 7. c. 20. intellectum quidem reproborum nunc merita obsecrant; sed tunc cognitio reatus illuminat, ut & modò sequenda non videant; & tunc eam, postquam amiserunt, cernant. q. d. nunc quidem peccatores multa mala perpetravit, nec tamen periculum, aut peccati fœditatem, agnoscunt: sed ubi apud inferos fuerint, videant, & confundantur. Pinna Ethol. 235.

Quis cæcus? nisi qui venundatus est: & quis cæcus? nisi servus Domini. Il. 42. 19. Quanquam loquatur de populo Judæorum; veruntamen ex communiione vitorum transfertur in similes. Atque ubi major cæcitas, quam ejus, qui se vili pretiò diabolo vendidit, & peccati servus in diaboli transivit man-

cipium? Quis cæcus? nisi qui accepit à Domino, sibi posse servire, cum in Sathanicum transivit obsequium; & legem vitæ postposuit legi mortis, tyrannum Domino benignissimo prætulit, venundatus dulcedine modicâ? Sim. Cals. l. 9. c. 10.

Fili hominis, in medio domus exasperantis tu habitas, qui oculos habent ad videndum, & non vident; & aures ad audiendum, & non audiunt. Ezech. 12. 2. Diabolus facit peccatores linceas, ad ea videnda, quæ ipse vult; obcæcat verò ad ea, quæ Dei sunt. Habent oculos ad malum, non autem ad bonum, videndum. Diez D. 3. Quadr.

Jonas. 1. 3. non obediens præcepto Dei, quò jubetur ire in Niniven prædicaturus, putavit visum, ac potentiam Dei, non nisi usque ad Judæam extendi. Ideo navem conscendit iturus in Tharsum: existimans se sic à præsentia, & potentia Dei, posse liberari. Id. conc. 1. D. 7. Pent.

Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt. Sophon. 1. 17. Quando quis cespitando modò ad terram prolabitur, modò in parietem impingit, modò in præceptis ruit; an non eum cæcutire dicemus? ita quicumque modò in avaritiam, modò in libidinem, modò in ambitionem, impingit; an non talpâ cæcior est? Besseus D. 2. Adv.

Ex Novo, & Patribus.

Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Luc. 23. 34. Quoties delinquo, ignoro, quid facio. Profecto, si scirem, corrigerem me, custodiremque. Quoniam verò semotus à tua cognitione sum, ita pronus ad culpam invenior: ad compunctionem tardus, remissus ad gratiam. S. Laur. Just. de tri. mph. &c. c. 17. Dici potest, quòd ad quoslibet peccatores dirigebat intentionem: qui, quantum malitia offendere videantur; tam quantum ignorantias habent. Ignorant enim, quantum Judicis majestatem offendunt; quantum Patris benignitatem contemnunt; quantum turpitudinem animæ suæ infligunt; ac quantum tormentum æterni cruciatibus incurrunt. S. Bernardinus t. 1. p. 2. art. 1.

Vidit hominem cæcum. Joan. 9. 1. Ex pretio oculorum corporis estimare possumus, quam sit grave supplicium, cum Deus nobis claudit, & cæcat, oculos mentis. Tob. 2. 12. *hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi; ut posteris daretur exemplum patientia ejus, sicut & sancti Job.* Nota: hic comparari patientiam Tobia cum patientia Job: inde collige, quam gravis sit cæcitas animæ. *In Inferno autem quis constabitur tibi?* Pl. 66. S. August. Infernum dixit animæ cœcitatem. Did. Nifs. fer. 3. D. 4. Quadr. §. 3.

Qui ambulat in tenebris, nescit, quò vadat. Joan. 12. 35. Ambulans in mentis tenebris nescit Infernum, quò vadit: si enim sciret Inferni poenas, multò majori studio caveret, nè iret illuc; quam caveret à morte corporis.

ris, & infamiâ perpetuâ hujus Mundi. Cajetanus hic.

Pro sua, & populi, ignorantia. Hebr. 9. 7. S. Thomas, Anselmus &c. per ignorantiam intelligunt quodvis peccatum. Nam ut Prov. 14. 22. *errant, qui operantur malum.* Et Aristoteles l. 3. Ethic. omnis malus est ignorans. Pl. 24. 7. *ignorantias meas nē memineras.* Cornelius hic.

Et cæcus. Apoc. 3. 17. quia seipsum non videbat; & alium se judicabat, quā erat. Sylveira hic.

Ut visus oculorum, si fuerit vitiat; quidquid videre non poterit, adesse non putat (frustrā enim circumstat oculos præsens imago rerum, si oculis integritas desit:) ita etiam Deus, qui nusquam desit, frustrā pollutis animis præsens est, quem videre cæcitas non potest. S. August. l. 83. qq. q. 12.

Quatuor sunt genera peccatorum, quæ homines maximè excœcant: nam cœcat homines humor avaritiæ, cœcat livor invidiæ, cœcat tumor superbiæ, & cœcat ardor luxuriæ. S. Bonaventura f. 41. in D. Quinq.

Dum demon furari vult, lumen rationis extinguit. In hoc est totus; ut propriam tibi miseriam celet; apprimè sciens, nec momentò te in ea mansurum, si illam cognosceres. Juglaris conc. 27.

Vide Avaritia. Libido. Ira.

§. III.

Peccator est stultus, peccatum stultitia.

Ex Veteri.

DA mihi de coctione hac rusa. Gen. 25. 30. In statu peccati pessima negotiatio est; ubi pro modica delectatione transitoria datur tota gloria paradisi: & propterea obligat se misera anima poenæ aternæ. Hugo Card. in Gen. 42.

Hæcine reddis Domino popule stulte, & insipiens? &c. Deut. 32. 6.

Nolite fratres, nolite facere malum hoc, & cessate ab hac stultitia. Judic. 19. 23. dicebat lenex ille Gabaonita, volens cives suos à libidine revocare.

Vidi stultum firmâ radice, & maledixi pulchritudini ejus. Job. 5. 3.

Intellectum tibi dabo. Pl. 31. 8. Consideremus, quā aptè, quā misericorditer, Christus introductus est loquens: ut, ipsò Judice promittente, spes poenitentibus certior appareret. Sed quid dicit? *intellectum tibi dabo.* Vides, quia peccatores non habent intellectum; nisi quando eum Dominus conversis propitiatus indulget: intelligere enim est bene agere, & ad mandata Dei vota convertere. Cassiodorus hic.

Vir insipiens non cognoscet ea; & stultus non intelliget hæc. Pl. 91. 7.

Prosperitas stultorum perdet illos. Prov. 1. 32.

Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur. Prov. 24. 8. S. Hieron. hic: nē putat. *Polyantb. Sacra, Tom. II.*

res, stultum astimandum fuisse eum, quem hebetem, tardumque ingenio, videres; palam ostendit; quia ille stultus sit vocandus, qui vel cogitatione peccati suggestioni consentit; tamen acer ingenio videatur existere.

Stultus populus meus me non cognovit. Jer. 4. 22.

Ex Novo, & Patribus.

Stulte, hac nocte &c. Luc. 12. 20. Stultus verissimè est omnis peccator. 1. quia aternæ sapientiæ non consentit, neque obedit; sed potius per inobedientiam contrariatur, dum divina præcepta transgreditur. 2. quia illa sapientia, quæ est donum Dei, caret; & stultitiâ, puerilitatisque vitio, adimpletur: estque similis puero; qui poma, & pyra, aurò, & gemmis, præligit: sic ipse spiritualibus, & aternis, transitoria, atque carnalia, præfert. Dion. Carthus. hic.

Dixit adolescentior ex illis patri. Luc. 15. 12. Si erat adolescentens ætate, multò adolescentior erat judicio, & moribus. Christus volens ostendere levitatem, & stultitiam, peccatoris, cum adolescentem vocat: nam plerumque adolescentes parum sciunt, judicij sunt exigui, pauca experti. Stella hic.

Semper malitia cum stultitia conjuncta est. Euseb. Emis. hom. de S. Blandina.

Nihil tam præter rationem est, quàm peccatum; nihil tam stultum, nihil tam fatuum, nihil tam vehemens: omnia evertit, confundit, perdit. &c. S. Chrysost. hom. 9. in ep. 1. Cor. 2.

Quoties quisque, peccati captus dulcedine, semetipsum perdit; profectò domum valde necessariam pro nihilo vendit. S. Rupertus l. 1. in Levit. c. 42.

Malus nunquam non stultus. S. Chrysol. f. 97.

Plus quàm trecenties in Scriptura peccatori nomen stultitiæ imponitur. Quanta stultitia! cum in peccato est Dei inimicus, ita securum esse, ac si nihil mali egisset. Si quispiam modò domum regis intraret, regemque impeteret districtò gladiò, ut eum jugularet; rex tamen servatus esset. Si post tale facinus non fugeret, non se absconderet, sed per mediam curiam securus incederet; quis insanum negaret? Orosius D. 1. Adv.

§. IV.

Peccator sit jumentum, bestia.

Ex Veteri.

TRia ponit Moyses. Gen. 1. 24. *reptile, bestias, jumenta.* Per quæ significantur illa tria. Joan. 2. 16. *omne quid est in Mundo &c.* Hæc tria de terra oriuntur: quia de amore terrenorum universa malitia ortum habet. Per reptile significantur cupidi, qui circa terram repunt: per jumenta luxuriosi: per bestias superbi. Hugo Card. hic.

Y y

Cum

Cum dixisset Deus: *faciamus hominem*, addidit *ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit &c.* Gen. 1. 26. Quare tantum honori hujus facturæ detractum est, hoc solum dicente Scripturâ, *& factus est homo in animam viventem?* Videlicet, quia qui factus est homo, rationis donò non bene usus est, & honorem suum non intellexit; sed comparatus est jumentis. Rectè illi jam quasi detractum est illud, quò superior est jumentis. Rupertus hic.

Fecit Dominus Deus Adæ & uxori tunicas. Gen. 3. 21. Et pellis ibat versùs carnem, & lana ad extra: ad innuendum, quòd homo ex peccatis effectus est similis bestiis. S. Vinc. Ferr. f. 7. D. 3. Adv.

Hic erit servus homo. Gen. 16. 12. Ex Hebr. pere, onager. Cornelius hic.

Nam & leonem, & ursum, interfeci ego servus tuus. Erat igitur & Philistinus hic incircumcisus quasi unus ex eis. 1. Reg. 17. 36. Ubi impium illum, & blasphemum, gigantem bestiis comparavit. Theodoretus q. 40. nihil differt à bestiis, qui vivit in impietate. Mendoza in 1. Reg. 13. sect. 2.

Homo quidam, erat: Job. 1. 1. Cum hominem illum memorat, ostendit protinus; quòd ille homo fuerit; & non jumentum, neque bestia. Unus erat ex omnibus hominibus secundum corpus, secundum corruptionem: sed singularis erat præ omnibus hominibus juxta spiritus instantiam, & animæ sinceritatem, atque justitiæ perfectionem. *Homo quidam erat:* non erat bellua cruenta; non erat serpens nequitia; non erat equus, nec mulus, luxuriæ; neque petulantia; non erat canis spurcitiæ; neque vulpes dolò, atque astutiæ; non erat scorpius; neque veneni lethalis vipera; sed homo erat. Orig. hic.

Operiet vultum suum. Job. 24. 21. Quilibet peccator vultum hominis exuit, induendo faciem lupi per rapacitatem, leonis per superbiam, ursi per gastrimargiam, porci per luxuriam, & sic de alijs; nè cognoscatur a Domino in die judicii. Unde talibus dicturus est: *amen, dico vobis, nescio vos:* quia vultum meum, & imaginem, exuistis. Hugo hic.

Dedisti nos tanquam oves escarum. Pl. 43. 12. Hugo Card. oves escarum ad aliud non sunt utiles. Sunt autem quedam oves foetose, quæ non libenter occiduntur: sed, cum desinunt foetus ponere; tunc non curatur de eis; sed occiduntur facilè. Applica peccatoribus.

Homo, cum in honore esset &c. Pl. 48. 21. Alligati sunt peccatores instar jumentorum illis stultiores. Jumentum, si posset, se solveret: peccator, cum possit Dei auxiliò gravissima peccatorum vincula solvere, in ijs vult permanere. Ad præsepe alligatus à dæmone tenetur: abscedere non vult; nè turpissimum, sed sibi dulce pabulum, foedissimas voluptates, deserat. Barradius D. Palm. solvite, & adducite. t. 3. l. 7. c. 8.

Pascite hædos suos. Cant. 1. 7. Theodoretus: hæcorum nomine peccatores intelligit di-

vina Scripturâ: hos enim Dominus à sinistris ait locatum iri.

Ostende mihi faciem tuam. Cant. 2. 14. Dicit hoc animæ peccatrici, quæ suam faciem, quam ei Dominus creando contulerat, & recreando formaverat, commutavit in faciem porci, vel ursi, vel leonis q. d. deponit faciem alienam; & ostende mihi tuam. Hugo Card. hic.

Ex Novo, Patribus, & alijs.

Invenietis asinam alligatam. Matth. 23. 2. Quid est peccator, nisi asinus? qui sicut asinus, stolidus est sensibus, & piger in actibus. Asinum ad Jesum adducit, quicumque peccatorem ad Deum convertit. S. Bonaventura f. 2. D. Palm.

Erat autem ibi grex porcorum. Luc. 8. 32. Qui sunt isti porci? nisi fortè illi, de quibus dictum est: *nolite sanctum dare canibus: neque mittatis Margaritas vestras ante porcos.* Matth. 7. 6. *ne fortè conculent eas pedibus suis.* Illi scilicet, qui immundorum usu animalium, vocis, & rationis, expertes, lutulentis vitæ suæ actibus naturalium coinquinaverint ornamenta virtutum. Qui impetu feruntur in præceps: quoniam nullius meriti contemplatione revocantur; sed tanquam de superioribus ad inferiora per improbitatis declivem protrusi, suffocantur in aquis; inter fluctuantia Mundii istius stragulatorum in modum interclusò prætereuntis spiritus commeatu. S. Ambros. in Luc. 8. multis enim temporibus &c.

In se reversus. Luc. 15. 17. In se reversus est: in se antè redit, ut rediret ad patrem; qui à se antè recesserat, cum recessit à patre. A se migrat, & ab homine totus transit in bestiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus. S. Chrysol. f. 2.

Peccatores porcis comparantur, qui in peccatis, velut in stercore foetido, volutantur. Orig. hom. 11. in Gen.

Volucres, qui sunt leves; serpentes, qui deceptores; leones, qui sunt animosi, & ad iram concitati; fues, qui sunt voluptatibus dediti; lupi, qui sunt rapaces. Has omnes immanissimas feras ipse cœlestis cantus in mansuetos homines transformavit. Clem. Alex. orat. adh. ad Græcos.

Sicut magnum, & venerandum est hoc rationale animal, & maximè, quando in virtutis viam contendit: ita quando in malum declinat, truculentarum bestiarum imitatur crudelitatem. S. Chrysol. hom. 19. in Gen.

Et præsit bestiis. Impera bestiis omnibus, quæ sunt in te. Quid? inquires. ergòne in me bestias habeo? Tu verò bestias habes; & eas quidem innumerabiles. Dic, amabo, parvane est bestia iracundia, quando latrat in corde tuo? nonne ea est quòvis cane crudelior? Quid? in callido animo tuo dolus latrans, nonne quòvis ursò fraudulentò savior est? Quid? nonne fera est hypocrisis vel immanissima? Qui autem impetu rapitur ad contumeliam, nonne scorpius est? qui præceps ad vindictam, ultionemque fertur: nonne est vipera gravissima?

Quid

Quid avarus ipse? nonne luptus est rapacissimus? Qui feminarum amoribus insanunt, nonne furiosi sunt equi? S. Gregor. Nyss. or. in illud: faciamus hominem &c.

Qui non timet Deum, & mandata ejus non custodit, non est homo. Quid ergo est? bestia est. Salonius Vienn. Ep. Explicat. in Ecclesiasten.

Qui vivunt secundum rationem, sunt homines; qui vivunt secundum sensualitatem, sunt bestia. Superbi sunt leones, avari vulpes, luxuriosi porci, invidi canes, gulosi sunt lupi, iracundi serpentes, seu vipera; pigri autem sunt alini. S. Vinc. Ferr. f. 1. D. 2. Adv.

§. V.

Peccator subit miserabilem servitutem.

Ex Veteri.

Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus. Gen. 9. 25.

Edificaveruntq; urbes tabernaculorum Pharaoni. Ex. 1. 11. Regnante peccato Aegyptijs extruimus civitates, in cinere verlamur, & sordibus; pro frumento paleas, pro solida petra luti opera sectamur. S. Hieron. ep. 142. ad Damasum.

Confortamini, & estote viri Philisthijm: ne serviatu Hebrais, sicut & illi servierunt vobis: confortamini, & bellate. 1. Reg. 4. 9. Poterant se alijs rationibus ad strenue dimicandum incitare; hoc tamen solum dicendum putarunt: ne serviatu Hebrais &c. non efficiamini servi eorum, quorum suis dominis. Abulensis hic: reputabant Philisthijm pessimam conditionem, viri esse servitutem; nec aliquid pejus fortunam posse inducere: & cum infelicissima fors ista sit; adhuc infelicior est; cum quis efficitur servus ejus, cujus antea erat Dominus; quia ista servitus est turpior. Tanto enim aliquis vilior est, quanto magis descendit: sed nemo videtur magis descendere, quam quod efficiatur ejus servus, cujus Dominus erat. Did. Niss. Pol. coel. p. 1. l. 4. c. 6.

Astiterunt reges terra, & principes convenerunt in unum. Pl. 2. 2. Sed nunquid Herodes reges, nunquid Pilatus principes? Cum rege Herode peccati quoque regem diabolum ostenderunt; & cum principe Pilato demonum potestates, & principatus ostenderunt; de quibus dicebat Apostolus: non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Rom. 6. 12. S. Chrysostr. hic.

Et annos tuos crudeli. Prov. 5. 9. Peccator quolibet peccato dat honorem suum, id est, gratiam, & adoptionem, alienis, scilicet demonibus: & annos suos crudeli, id est, Lucifero; cui vitae labores, annosque impendit. Cornelius hic.

Quomodo sedet sola civitas &c. Thren. 1. 1. Mystice plangitur anima Fidelis hominis; quae quondam plena fuit numerositate virtutum. Polyanth. Sacr. Tom. II.

tum, & imperabat diversis affectibus, dominans concupiscentijs carnis: postea autem a malignis spiritibus flammis libidinis succensa, desinituta Angelorum solatio, & carens divino confortio; tot servit sceptris, dedita quot vitijs. S. Hieron. hic. *Civitas* (anima) *plena p. pulb* (bonarum actionum) *Domina gentium* (victorum) *Princeps provinciarum* (sensuum desolata bonorum suffragijs) *Vidua* (sponsi amplexibus) *sub tributo* (victorum.) S. Thomas Aqu. hic.

Ex Novo.

Adveniat regnum tuum. Matth. 6. 10. Ne amplius adversum nos efficax sit malitia, viciostatisque tyrannis, ne pravealeat adversum me hostis, ne per peccatum captivum me ducat. S. Gregor. Nyss. de orat. Dom. or. 3.

Dico huic, vade, & vadit. Matth. 8. 9. Ut servo herus imperat acerbus: abi, & abit; veni, & venit; fac hoc, & facit. Ad eundem modum, ac multo impotentius, jubet sub se subiecto peccatum. Loquere foeda, & loquitur: nefaria designa; & designat. B. Theodorus Studita f. 26.

Fuga boum emi quinque. Luc. 14. 19. Christus dicit: *jugum meum suave est.* Matth. 11. 30. Hic autem, ne se subiciat jugo suavi, humeris suis quinque juga gravissima subit; quorum quodvis gravius est, quam centum juga Christi. Diaboli quinque sunt juga: quia nullus est sensus, quem sibi demon non cupiat subicere. Stella hic.

Solventibus illis pullum dixerunt domini ejus. Luc. 19. 33. Non dominus, sed domini. Mirum, quod unus asinus plurimum dominorum esset. Pullus hic peccator est, juxta Chrysostr. hom. 11. in Marcum: hic pullus multorum dominorum est, quia ab uno crimine facile in aliud ruit. Ideo duo praecipui Apostoli ad solvendum mittuntur: quia solvere peccatorem, res valde difficilis. Ad unum Dominum reducitur: *dicite, quia Dominus operam ejus desiderat.* Pinna Ethol. 45.

Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. Joan. 8. 34. specialiter observat Sabbathum Christianus, abstinens se ab opere servili. Quid est enim ab opere servile? a peccato. Et unde probamus? Dominum interroga: *omnis &c.* S. August. tr. 3. hic. Patet hoc multis rationibus, quod peccatores sint servi peccati, & diaboli. 1. quia servorum est, multum laborare. Jer. 16. 13. *servietis dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem &c.* 2. quia peccatores, tanquam servi, vilissimis cibis vescuntur: ut filius prodigus filiquis. Luc. 15. 16. Et Thren. 45. *qui nutriebantur in croceis &c.* 3. quia nihil, quod lucratur servus, suum est; sed totum domini sui. Sic peccator nihil facit sibi utile ad vitam aeternam: quia diabolus dominus suus semper apponit aliquid de suo; propter quod totum sibi calumniatur, scilicet malam intentionem, si facit opus bonum. 4. quia, tanquam servi, reputantur viles, opprobrium hominum, & abjectionis plebis. Hugo Card. hic. *Aerumna hu-*

Y Y 2

ju

jus Sæculi, panis est servi. Petrus Cell. l. 15. depone fervorum.

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Rom. 6. 12. Vides, ante quos reges statuaris, ô homo! ante quos præsidet peccatorum; si culpa regnat. Quot peccata, quot vitia; tot reges. S. August. in Pf. 118. S. Chrysol. f. 113. non dixit, non veniat ad vos; non dixit, non provocet, non titillet; sed *non regnet*, non dominetur. Cur sic loquitur? non videtur S. Paulus invenisse frænum, quod validius homines coërceret à peccato; quam dicendo; *non regnet peccatum*: quia hoc vi, & meritis, Sanguinis Christi, velut ferrò, constrictum, & mancipium hominis, factum est; cuius ille antè miser captivus erat. Did. Niss. Pol. cœl. p. 1. l. 4. c. 6.

Ex Patribus, & alijs.

Succumbere, & cedere, vitijs, & animi perturbacionibus, est extrema servitus. Clem. Alex. l. 2. Strom.

Iustus, quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non est pœna criminis, sed examen virtutis. Proinde bonus etiamsi serviat, liber est: malus autem, etiamsi regnet, servus est: nec unius hominis; sed, quod gravius, tot dominorum, quot vitiorum. S. August. de Civ. l. 4. c. 3.

Conditio servitutis jure intelligitur imposta peccatori. S. August. de Civit. l. 19. c. 14.

Non erat ullus servus olim: Deus enim, cum hominem formâret, servum illum nequaquam fecit, ac liberum. - è peccato servitus orta est. S. Chrysol. tom. 6. tr. in terræ motum.

Vitiorum omnium dux, atque imperator, diabolus. S. Gregor. Nyss. l. de vita Moyfis.

Abjicere debet habitum servitutis, qui se regem credit divinitus consecratum. S. Chrysol. f. 23.

Leo est rex omnium animalium; & diabolus etiam est rex omnium malorum. S. Bonaventura in Pf. 39.

Qui peccat, diaboli jussu exequitur, & voluntatem, Olympiodorus in Eccl. 8. 12.

§. VI.

Peccator est vincus, captivus.

Vincus, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Il. 5. 18. Peccatum vocat vanitatem: quia ut ait Hieronymus, facientibus peccatum facile textitur; & adeò inane est in se, ac futile, ut aranearum tela. Sed, cum inde exire voluerimus, solidissimis vinculis neclimur. Peccata ergo sunt funes, 1. quia fiunt ex filis, id est, rebus, & voluptatibus, vanissimis, & levissimis. 2. quia distorta sunt, ut funes. 3. quia invicem connexa. Samson ligatus Symbolum peccatoris. Chaldaus vertit: *qui incipiunt paulatim peccata; augentq., ut crescant; & fortia fiunt, ut vin-*

culum plaustris. Sicut bos, vel equus, dum primum curru jungitur, salit, recalcitrat, jugumque conatur excutere, & manere liber; at ubi jugum subijt, eique affluet, sponte illud subijt; imò ex habitu adit, mox ut à præsepio solvitur, esto in illo ipsi sudandum, & gemendum sit: ita homo initio peccati onus averfatur; at ubi ei affluevit, sponte illud subijt; & quasi in dolore, & gemitu suo, ridens, ad illud ex consuetudine procurrit. S. August. in Pf. 52. væ his, qui trahunt peccatum suum sicut restem longam! Quid est aliud, quam væ his, quorum manus connectunt iniquitatem? sed non vis modò dirumpi vincula tua: quia non sentis vincula tua; etiam delectant te, & voluptati sunt. Senties in fine, cum dicetur: *ligate illi manus, & pedes.* Cornelius hic.

Quadruplici alphabeto Jeremias deploravit quatuor captivitates: quarum prima sub Theglathphalasar. 4. Reg. 15. Secunda sub Salmanazar. 4. Reg. 17. Tertia sub Nabuchodonosor. 4. Reg. ult. Quarta sub Tito, & Vespasiano in Ecclesiastica historia. Quæ significant quatuor captivitates, quibus diabolus captivat animam peccatricem. Prima est in consensu, secunda in opere, tertia in consuetudine, quarta in desperatione. Hugo Card. in 2. Paral. 35.

Nabuchodonosor. Jer. 52. 10. id est, diabolus, victa animâ occidit principes Juda, contritionem cordis, manifestationem oris, satisfactionem operis! Occidit omnes filios regis, merita anima: excœcatur rex, orationis lumen; peccator ducitur in Babylonem, id est, confusionem, & ignominiam; & vinculis ligatus manet in manu diaboli. de Rampellogis. Diabolus.

Quomodo sedet sola &c. Thr. 1. 1. Tropologicè: anima sola sedere dignè plangitur, quasi vidua exuta virtutum bonis; quòd se domino subjugaverit Chaldaeorum: sponsumque contempserit pubertatis sue. Chaldaei namque *captivantes* interpretantur. Captiva ergo anima ducitur, cum à folio cœlestis patriæ virtus subacta sub potestate demonum redigitur. S. Paschas. hic.

Misit in carcerem. Act. 12. 4. Carcer signat peccati mortalis statum. Est tenebrosus, & significat peccatum superbia. Secundo est subterraneus; ecce avaritia. Tertio foetet; ecce luxuria. Quarto est solitarius; ecce invidia. Quinto est humidus; ecce gula. Sexto in carcere est desperatio; ecce ira. Septimo in carcere nihil operatur; ecce peccatum acedia. S. Vinc. Ferr. l. de S. Petro ad vincula. Petrus dormiens significat peccatorem in carcere peccati dormientem inter duos milites, scilicet Angelum bonum, & Angelum malum. Id. ib.

Malitia est fumus, per quem diabolus peccatores suspendit in Internali patibulo: & nesciret, per quid suspenderet eos, nisi ipsi apporarent ei funem, per quem suspenduntur. S. Albertus M. l. de S. Clem. M.

§. VII.

§. VII.

Peccator miserè laborat, oneratur, affigitur.

Ex Veteri.

Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum. Gen. 5. 29. Dixit Lamech de filio suo Noe. Tantam calamitatem (diluvij) tantaque mala, quietem vocas? Diluvium autem, quia malitiam refecuit, ideo liberati illi à malitia quiescere dicuntur. Nam si mors viro quies; multò magis his, qui inemendabiles in malitia vivunt, mors quies est; liberans eos à laboribus, nec finem ulterius in iniquitatis consuetudinem progredi. Non est enim gravius, ingestabiliusque pondus, quam peccati natura: nihilque ita labores, & ærumnas, nobis affert, ut malitiæ species, & delicta. Et idcirco Lamech diluvium quietem appellavit: eò quòd superveniens malitiæ finem impositurum erat. S. Chrysof. tom. 1. ferm. de nomine Abram. Noe interpretatur *consolatio*, vel *consolator*: quia homines in diebus Noe consolati sunt; dum à peccatis extincti sunt in diluvio. V. Beda in Gen. 5.

Dies quoque septimus celeberrimus, & sanctus erit &c. Num. 28, 25. Qui peccat, & agit diem peccati, agere non potest diem festum. Origenes hom. 23. hic.

Ducunt in bonis dies suos &c. Job. 21. 13. Ego contrarium dico: ducunt in laboribus, sudoribus, & anxietatibus, dies suos; & in puncto ad gehennalia loca merguntur. Ecce cœcitas hominum mentes, qui labores, quietes; amaritudines, dulcedines; punctiones, unctiones, appellant. Ad peragendum malum, quam bonum, amaritudo desudatur; & toleratum ex tempore malum preparat ad æternum. Quæ perversitas! ad labores à laboribus pergere? Sim. Casl. l. 6. c. 33.

Ambulavimus vias difficiles. Sap. 5. 7. Mali Christiani lassati sunt triplici viâ ambulantes. Alij quidem viam montosam vadunt; ut superbi, & ambitiosi: alij viam lapidosam; ut avari, & contentiosi: alij viam lutosam; ut luxuriosi, & ebriosi. Hugo Card. hic. **Ambulavimus &c.** in quibus sol justitiæ non solum meridiem non explicat; sed nè oritur quidem: quæque eò deducunt, ubi ejulando suspirant defatigati: **ergo erravimus!** Quantum caliginis, & fumi, in via vanitatis! quantum luti, & fimi, in semita voluptatis! quantum spinarum, & laqueorum, in itinere cupiditatis! quæ rupes, & scopuli, in semitis ambitionis! Et cum diu tam arctas triveris vias; vix devenis, quò cupis. Et quot semper oberant in via frustra spebus suis! Fac deveniant: certè nec civitas erit; vel, si erit civitas, non erit urbs habitationis. Ubi enim non clangitur? da huic locum. Omnia transeunt; & quoquò accedimus, accedimus abituri. Adde, quòd civitas dici non potest, quæ exposita est latronibus, & monstris. Olival. 3. Strom. §. Deduxit eos in viam rectam. Pf. 107.

Alligasti nos in manu iniquitatis nostræ. If. 64. 7. id est, propter iniquitatem nostram. ita Sanchez. Secundo melius: *in manu*, id est, *per manum*. q. d. tradidisti nos peccato, quasi licitori, cruciandos, & allidendos. Cornelius hic.

Ex Novo, Patribus, & alijs.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. Matth. 11. 28. Per hos laborantes, & oneratos, peccatores intelligunt Hilarius, Chrysofomus, Augustinus. S. Ambros. l. 3. hexam. c. 12. terrenis cupiditatibus oneratos. Sylveira hic.

Hædos autem à sinistris. Matth. 25. 33. Orig. tr. 34. in Matth. hædi dicuntur omnes mali: quia aspera, & dura saxa malè ascendunt, & per præcipitia eorum incedunt. Quod ipsi fatentur Sap. 5. 7. **lassati sumus in via iniquitatis - ambulavimus vias difficiles.** Pina Ethol. 7.

Rectas facite semitas ejus. Luc. 3. 4. Quomodo rectas? quia nimirum *in circuitu ambulat impij*. Recurve atque retrograde, instar cancri, illi viam peragunt: qui ad seipos amore proprio tracti continuo reflectuntur; & quocumque pergunt gressibus affectionum, extra semetipos non longè exeunt: quia circa palum proprii commodi alligati sunt catena quadam amoris, & cupiditatis: quemadmodum urfos ligare solent hiltriones; aut sicut equi circa molam assidua agitatione convolvuntur. Joan. Gerson. lect. 2. super Marcum.

Infremuit spiritu, & turbavit semetipsum. Joan. 11. 33. Quid est, quòd turbet semetipsum Christus? nisi ut significetur tibi, quomodo turbari tu debeas, cum tantà mole peccati gravaris, & premeris. S. Aug. tr. 49. in Joan.

Non fugiamus malè affligi; sed malè agere: hoc enim est verè affligi. S. Chrysof. hom. 61. in Gen. Scriptura semper malitiam vocat laborem. S. Chrysof. hom. 1. in Acta.

Cur comprehenderunt te dolores parturientis, ut parturires iniquitates, & pareres injustitias? nullus enim major est dolor, quam is, qui peccati mucrone vulnerat conscientiam: neque ullum gravius est onus, quam peccatorum sarcina, & pondus flagitiorum. Deprimat animam, curvat usque ad terram; nè se erigere possit. Gravia, fili, gravia nimis delictorum pondera. S. Ambros. ep. 18.

Crux intolerabilis, crux mali latronis. Habet enim suos Martyres diabolus, qui etiam dicere possunt illi: **propter te mortificamur totà die.** Rom. 8. 36. Annon martyr avarus; qui diebus, ac noctibus, in congregando luto laborat? Annon martyr superbus; cui omnis alienus honor, & gloria, cruciatus est? S. Thom. Vill. conc. 4. de uno Martyre.

Impietas mare est: dulcem siquidem aquam facere non potest. Sed est aqua ejus salta valde, & multum amara; & amaritudo ejus amarissima.

iffima. Richardus à S. Victore tr. de extern. mali &c. c. 2.

Perdita vitæ homines se laboribus torquent, cruciant curis, expensis evicerant. Nonne figuram araneæ gerunt? quæ de suis visceribus telam texit; ut capiat muscam vilissimam. Quid est inanis gloria? quam venantur; nisi musca vilissima, murmurosa, fordida, pungitiva? Petrus Blesens. ep. ad Sacellanos aulicos &c.

§. VIII.

Peccatoris hostes sunt creatura.

Ex Veteri.

Quemadmodum canis, qui in domo est, ei servit, qui eum alit; & eum timet, ac reveretur: sed, si eum repente viderit vultu fuligine atrato, vel personatum; aggreditur tanquam alienum, & cogitat eum dilacerare. Ità etiam Adam, quamdiu purum servavit vultum, factum ad imaginem Dei; bestia ei, tanquam servæ parebant. Quando autem vultum, fœdavit inobedientiâ Gen. 3. non agnoscens dominum, tanquam alienum cum odio habebant. Servorum itaque insurrectio est peccatorum retributio. Justus Daniel. 6. 22. & leones agnoverunt dominium: viderunt eum non gustasse peccatum; & eum supplicij expertem reliquerunt. Peccavit propheta 3. Reg. 13. 24. & leo eum in via inventum morte effecit: erat fallaci fuligine atratus, & leo eum non cognovit. S. Chrysof. in Pf. 3.

Ecce ejicis me hodie - à facie tua: omnis igitur, qui invenerit me, occidet me. Gen. 4. 14.

Venit musca gravissima in domos Pharaonis &c. Ex. 8. 24. Vel exiguis facile vincitur, qui internâ malitiâ pulsatur. Naxera in Jos. 18. §. 3.

Surgite fugiamus - à facie Absolon. 2. Reg. 15. 14. S. Chrysof. in Pf. 3. cui titulus: *Psalmus David, cum fugeret à facie Absolon filij sui:* fugiebat filium suum David, quoniam calliditatem fugerat; fugiebat filium, quoniam matrimonium pudicum violarat; fugiebat filium, quoniam legem Dei, quæ dicit, *non occides, non adulterabis,* fugerat.

Vadam, & amputabo caput ejus. 2. Reg. 16. 9. Si filij Sarviæ servi David, cum viderent Semei jacere lapides contra David, & maledictas irâ accensi geliebant ei mox caput amputare, & vindicare contumeliam Domini sui; dubium non est, sanctos Angelos, qui longè magis diligunt Dominum suum, multò acrius indignari, cum vident eum offendi, Incertò Auth.

Adhesit caput ejus quercui. 2. Reg. 18. 9. S. Chrysof. in Pf. 3. cœlum eum noluit admittere: si enim primum ejecit insurrectorem diabolum; quomodo insurrectorem secundum admisset? Terra eum averfabatur, non ferens pollicis passibus parricidæ. Inimicam habuit quercum Salomon, quia ipse inimicus Dei. Zachæo arbor amica est, quia ipse amicus Christi. Inimicæ sunt inimicis Dei creaturæ, amicis amica. Gen. 7. 18. *arca ferebatur super aquas.* Aquæ mergentes omnia, uni se sub-

mittunt arcæ, quæ justum vehebat. Bæza t. 2. l. 6. c. 8. §. 11.

Deus dereliquit eum; persequimini, & comprehendite eum. Pf. 70. 11. Dum quis regis amicus est, omnes illum reverentur; quamprimum autem regis amicitia excidit, etiam lapides in eum insurgunt, etiam plebeij vexant, tanquam omnî præsidio destitutum. Sic homo, dum est in gratia Dei, etiam ab Angelis honoratur, timetur ab hominibus: sed mortaliter peccanti omnes creaturæ infestæ sunt. Diez conc. 4. in festo Nat. S. Joan.

Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. &c. Sap. 5. 18. &c.

Filij ejus percusserunt eum gladio. II. 37. 38. Sennacherib, ingentè cinctus exercitu, apud Jerosolymam iram Dei incurrit à filijs percussus. S. Ephrem s. de vita Religiosa: illic misericordissimus ille Abraham immitis, & immisericors reperietur: & qui pro Sodomis, ut salvarentur, fuerat deprecatus; illic vel pro uno peccatore non supplicabit. Bæza t. 3. l. 13. c. 1. §. 1.

Et visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus: gladium &c. Jer. 15. 3. Neque enim fieri poterat, ut, creatore neglecto, non universa creatura insurgeret in peccatores, S. Hieron. hic.

Non est, qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Th. 1. 2. Chari, & amici, Jerosolymæ hic vocantur gentes vicinæ, & amicæ antè Judæis? nunc inimicæ, quia cum Chaldæis vastarunt Judæos. Tales fuerunt Idumæi, & Ægyptij. Idem contingit animæ peccatrici: hæc enim, cum creaturis, & voluptatibus, fornicata, mox ab ipsdem amarorem, horrorem, nauseam; aliosque animi, & corporis cruciatus, justò Dei judicio, patitur; præsertim in morbo, & mort. Cornelius hic.

Ex Novo, Patribus, & alijs.

Pater, peccavi in cœlum, & coram te. Luc. 15. 18. Cur meminit, se peccasse in cœlum? cur non contentus dicere, peccavi coram te; ut dicebat alius peccator Pf. 50. 6. *tibi soli peccavi.* Quia, dum se sistit tribunali divino, non solum Deum iratum meminit; sed etiam cœli in se armatos exercitus metuit. Titus Boltrensis: haud secus firmamenti faciem metuit, atque accusatoris cujuspiam voces. Illa ipsa lumina, quæ modo vitam tibi halant; tunc solum responsum mortis dabunt. Nec est creatura tam hominis amica, quæ instante Dei sententiâ, accusatoris, imò carnificis, personam non subeat. Bæza t. 3. l. 13. c. 1. §. 1.

Peccatori quidem omnis creatura hostis est; sicut de Ægyptijs scriptum est: terra eos impugnabat, fluvius impugnabat, aer ipse impugnabat. Origenes hom. 4. in librum Jesu Nave.

Quare patimur multa mala à creatura, quam fecit Deus! nisi quia offendimus Deum. S. Aug. tr. 1. in Joan.

Si servus à domino suo recedat, non solum Dominum ipsum exacerbat; sed & totam ejus familiam justissimè irritat. S. August. de diligendo Deo.

Jus nullum in his, quæ Dei sunt, justè debet habere, qui voluntati ejus non veretur pravis actibus contraire. S. Anselmus l. de excell. B. V. c. 10.

Clamant contra me, Domine, creaturæ tuæ, & dicunt: venite, disperdamus illum, qui totus deditus fuit injuriæ Dei nostri. Unde suò modò clamat terra, & dicit: quare tam nequissimum sustineo? Dicit aqua: quare ipsum non suffoco? dicit aer: quare ei non deficio? Dicit ignis: quare ipsum non comburo? Mala bestia: quare eum non devoro? & lacerò? Infernus: quare eum non absorbeo? S. Laur. Just. de incendio div. am. c. 2.

Propter creaturas relinquit Creatorem; & ideo insurgunt contra te omnes creaturæ: qui offendendo Creatorem, offendisti omnem creaturam; ideo creaturæ, quæ factæ sunt in ministerium, & utilitatem tuam; convertuntur in vindictam, & pœnam tuam. S. Bernardus f. de miseria humana.

In multis offendimur, quia in multis offendimus omnes. Id. f. 34. de div.

Videmus, quòd omnis creatura parata est punire, rebelles suo Creatori. S. Thom. Aqu. f. in D. 2. Adv.

Chare Theotime! cœli attoniti admirantur, eorumque portæ horrore concutiuntur: quin & Angeli ipsi pacis visâ prodigiôsâ hac cordis humani miseriâ obstupescunt; quòd tam amabile bonum derelinquat, ut rebus, omnibus lacrymis deplorandis, adhæreat. S. Franc. Salef. tr. de amore Dei l. 4. c. 1.

Si quæris, quis te accusabit? omnis creatura quia offensò Creatore omnis creatura offenditur. S. Bonaventura f. 3. de Adventu.

Cogita, ô infelix peccator, plures maledictiones contra te immitti quotidie, quàm sint capilli capitis tui: nam omnes Ecclesiastici in prima hora diei id faciunt; incipiendo à summo Pontifice descendendo ad Cardinales, Episcopos, Sacerdotes, Monachos, Moniales: omnes unò ore contra te clamant: *maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* Pf. 118. 21. In certò Auth.

§. IX.

Peccatoris jactura, damna.

Ex Veteri.

Adam ubi es? Gen. 3. 9. Sanè, qui ultro nolebat agnoscere, ubinam esset; id est, quantum in malum incidisset; hac saltè percussione Dei pulsatus evigilare, & videre, debuerat, ubi esset? Hoc enim benignitas quærens intendebat; ut is, qui quærebatur, seipsum inveniret; & sciret, quid perdidisset, quid commeruisset. Rupertus l. 14. in Gen.

A facie tua abscondar. Gen. 4. 14. S. Chrylost. & Cajet. id est, curâ, favore, & tutelâ tuâ, deslituar. Cornelius hic.

Nabuzardan princeps exercitûs Babylonis, obtentâ Jerusalem, expoliavit templum; abstulit candelabrum. &c. 4. Reg. 25. Diabolus, vincens animam, excœcat rationem, surripit altare aureum charitatis, mensas Verbi Dei subvertit; coronam faciei templi removeret, quia delet ruborem peccati. Destruit vasâ incensæ, id est, orationes devotas; itè vasâ aquæ sacrificij, id est, lacrymas. Lacerat vestem Sacerdotalem innocentie, de Rampelogis. Diabolus.

Qui peccaverit, multa bona perdet. Ecclæ 9. 18. Unus, quisunque is demum sit, dum se peccati forde commaculat; & bona corrumpit, quæ sibi ex acquisitis virtutibus insidebant; & multos etiam malò exemplò ad imitationem inducit. Olympiodorus hic.

Terra vestra deserta, civitates vestre succensa igni; regionem vestram coram vobis alieni devorant. Eccl. 11. 7. Possumus hæc tropologicè de peccatoribus accipere, qui de sanctitate pristina corruerunt, postquam contrarij fuerint traditi potestatibus: quòd omnia eorum bona veniant ad desertum, & prioris justitiæ Deus non recorderetur; & igne diaboli omnia succendantur, & sint pabulum bestiarum. S. Hieron. l. 1. hic.

Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea. Ib. v. 8. Juxta anagogen, vinea Dei & pomorum paradysus, anima nostra appellari potest: cui si mens præ fuerit, habet cuiusdem mentis Deum: sin autem vitia nos, quasi quedam bestie, fuerint deprædata; relinquetur à custode Deo, & omnia nostra redigentur ad solitudinem. Id. ib.

Audi popule stulte, qui non habes cor. Jer. 5. 21. Reprobi corda sua non habent, quia ea diabolus possidet. Quotiescunque ergo graviter delinquimus, cor nostrum nos non habemus. S. Gregor. l. 2. in Reg. 1.

Quomodo sedet sola civitas! Thr. 1. 1. Mysticè plangitur anima Fidelis hominis: quæ quondam plena fuit numerositate virtutum, & imperabat diversis affectibus, dominans concupiscentijs carnis; postea autem à malignis spiritibus flammis libidinis succensa, destituta Angelorum solatiò, & carens divini consortiò, tot servit sceptris, dedita quot vitijs. S. Hieron. hic. Nihil aliud sletu, & amarissimò luctu, dignum; nisi cum offenditur Creator omnium rerum. S. Bernardus f. de g. beat. Jerusalem vastata, est anima peccato mortali consentiens; statu justitiæ, & regnò Dei, privata; demonis regnum, jugum, & tyrannidem subiens; & clades longè majores, quàm Jerusalem olim everfa, perpeti cogitur. Cornelius Præf. in Thr. Sola federe jure quaritur, eum Dei, & omnium Sanctorum desolata Angelorum auxiliò; iarus, forisve, ab hostibus vastatur. Alioquin, nisi sola esset, plangenda non esset: *quia non possunt lugere filij sponsi, quamdiu cum illis est sponsus.* Matth. 9. 15. S. Paschasius l. 1. hic.

Ex

Ex Novo.

Fuit ruina ejus magna. Matth. 7. 27. Ruinam magnam non dixerim, ubi moenia ruunt. Ruit magna Troja, ruit Babylon latissima, ruit aurea Roma; ruerunt magna in orbe utique civitates, cecidit sublimitas aedificiorum, proftrata est interdum altitudo turrium. Et quod praesenter oculis saepe videmus, ruunt incessanter in mortem corpora; sed non in ruina magna. Sed illam duntaxat appellaverim magnam, qua ruunt hominum mores, caduntque virtutes, qua a Deo cadendo recedunt. Simon Cas. l. 7. c. 14. Idcirco non solum ruit; sed cum magno etiam fragore collabitur: *Et fuit, inquit, ruina illius magna.* Nec enim exiguarum, leviumque, rerum periculum est; sed de animae discrimine, & immortalibus supplicijs sustinendis; de caelestis regni, aeternorumque bonorum amissione, res agitur. S. Chryso. hom. 27. in Matth.

Ascendente (Jesu) in naviculam. Matth. 8. 23. id est, baptismum. Haec navis baptismalis innocentiae facit naufragia; & rumpitur, impingendo in rupem peccatorum mortalium; scilicet ventu diaboliarum tentationum, seu periculis occasionum mundanarum: in tantum; quod tot sunt pericula in mari hujus Mundi, quod e decem millium animarum non transfretat una cum ista navi innocentiae baptismalis; quin peccet mortaliter. Ideo ad instar navigantium, si volunt se tenere ad tabulam poenitentiae fortiter, adhuc possunt evadere. S. Vincent. Ferr. l. in die Cin.

Et veniens invenit eam vacantem. Matth. 12. 44. Vacua est domus, id est, anima; quia caret Deo, Dei que gratia: ac proinde capax est, & apta; ut fiat domus diaboli. Scopis mundata est; quia eversa est ex ea omnis virtus: haec enim immunda mundities placet diabolo; cui nil, nisi foedum, olet. Cornelius hic.

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1. 47. Addidit mea. Ille solus potest dicere anima mea, qui immunem illum habet ab omni scelere. Peccator vendidit; & habet illam res amata. Stella hic.

Vox clamantis in deserto. Luc. 3. 4. Desertum hoc est peccator. Habet deserti conditiones: quia horridus est, & incultus; nulla fruge commodam feminatus; generat spinas, & tribulos; sentibus, & vepribus, densis pravaram cogitationum, & desideriorum, est oblitus undique: & fit habitatio bestiarum sylvestrium, & ferarum, & serpentium, & scorpionum. Denique nullus fructus in eo, nisi glandes porcorum. Quanta solitudo, ubi non est Deus! quanta siccitas! ubi pluvia caelestis non cadit: quanta sterilitas! ubi deest calor solis, & cultus spiritus. S. Thom. Vill. l. in D. 4. Adv. Desertum est cor peccatoris; quod utique desertum est a gratia, & virtutibus. S. Bonavent. spec. B. V. c. 10.

Quae mulier habens drachmas decem. Luc. 15. 8. Nota: quod homo in prima creatione creatus fuit innocens; & ideo in prima

parabola assimilatur ovi, quod animal innocens est. Fuit etiam creatus ad Dei imaginem; & ideo significatur per drachmam, in qua est imago Regis: per peccatum autem perdit homo innocentiam; & ideo deformat imaginem Dei. Stella hic.

Dissipavit substantiam suam. Luc. 15. 13. & peccavit in caelum filius prodigus: quia dissipatione sua nullam caelestem mercedem lucratus. Uni civium adheret, pascit porcos, nulla pacta mercede. V. Beda hic. in semetipsum reversus etiam mercenarii statum de mercede jam cogitans, concupiscit. Prodigus est, & a patre; sed & a se, profusus aliena, qui sua consumit sine lucrò, & mercede aeterna. Amabilis Deo, qui nec micam panis perdit; nisi ut iterum eamumat cum fenore. Baeza tr. 3. l. 14. c. 14. §. 13.

Quis nos separabit? Rom. 8. 35. Joan. Clun. t. 2. f. 67. omnia provocavit; & desolo peccato tacuit. Cum pro animi sui magnitudine, omnia provocare Paulus ausus fuerit; solum peccatum laceflare timuit: alia enim omnia non habent vires, ut avellere quemquam ab amicitia Dei queant; unum, solumque, peccatum eam extinguere momentò potest. Did. Nis. Vit. Abr. l. 2. c. 9.

Ex Patribus, & alijs.

Unusquisque peccando animam suam diabolo vendit, acceptò tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis. S. August. in ep. ad Rom.

Quid est vestimentum animae? virtus: quae nuditas? peccatum. S. Chryso. hom. 25. in acta.

Nihil peccante est pauperius. Id. hom. 5. de poenit.

Si necesse esset, aut totum Mundum, & quidquid Deus non est, perire, & in nihilum redigi; etsi plures essent Mundi, & infinito numero multiplicarentur: aut te facere tam parvam rem contra voluntatem Dei; cum intueor, quod sit contra voluntatem Dei; gravissimum quiddam, & nullò damnò comparabile intelligo. S. Anselmus l. 1. cur Deus homo c. 21.

Peccatum est fur, sponte introductus in thalamum animae, pretiosum gratiae thesaurum exhauriens. S. Bonavent. l. 2. de ingressu ad sapientiam.

Peccator non est Dei.

Vide D. tit. 4. Deus, §. II.

§. X

Peccatoris insensibilitas.
Symbola, & allegoriae.

Consumetur velut a tineis. Job. 4. 19. S. Gregor. tinea damnus facit, & sonitum non facit: ita iniquorum mentes quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes, perdunt. Barradius D. 1. Epiph. t. 1. l. 10. c. 16.

Eris sicut dormiens in medio mari, & quasi

quasi sopitus gubernator, amisso clavō, & aīes: verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me, & ego non sensi. Prov. 23. 34. Hugo Card. in medio mari, id est, in vita praesenti, cujus fluctus curae, & desideria, multos submergunt; sopitus gubernator amisso clavō, id est, studio sollicitudinis. Verberaverunt me daemones tentationibus, illusionibus; quae sunt verbera spiritualia. Sed non dolui, non sensi; vel ignoravi. Traxerunt, me in vitia saeculi, in funiculis vanitatis, & voluptatis. Et ego non sensi: quia omnis peccator, quasi vinō ebrius voluptatis palatum cordis omnino emortuum habet; nec spiritualia vulnera, nec delectationem cordis, sentit. Fernandus in Gen. 3. sect. 23.

Supra mortuum plora: defecit enim lux ejus. Et supra fatuum plora: defecit enim sensus. Eccl. 22. 10. Graec. *defecit enim intellectus.* q. d. stultus, putā peccator, non tantum est dormiens, sed mortuus per peccatum, cui affixus haeret. Quare sicut ploras amici mortem, quia defecit ejus lux; id est vita: & supra fatuum, id est, sic, vel similiter, luge, & plora fatuum, quia defecit sensus, id est, prudentia, & sapientia; quae est quasi vita, & anima animae. Rursum *defecit sensus*: quia nullum habet sensum suae salutis, & rerum divinarum, perinde ac si esset mortuus. Cornelius hic.

Dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus, pleni indignatione Domini. Il. 51. 20. Scribitur, in Africa dari belluas, oryges dictas, quasi tauros sylvestres; tam stolidas suarum virium fiducia; ut, cum, in retia venatorum inciderunt, dormire praesumant: nec equorum hinnitu, vel canum latratu, excitari se sinant, ut expediti laqueis fugiant. Dormitis, Samsonis instar; Judic. 16. 19. in sinu scortorum: dormitis in lectis eburneis, pleni indignatione Domini; & periculum non timetis. Segneri f. 1. die Cin.

Ollam succensam ego video. Jer. 1. 13. Ostensus est miserimus peccatoris status. Quid peccatrix anima, nisi olla; in qua flamma, & sulphurei vapores ebulliunt. Quid est contra diabolus? *servefere faciet, quasi ollam, profundum mare; & ponet, quasi cum unguenta bulliunt.* Job. 41. 22. Faeces sic facit apparere, quasi unguenta, placido calore solvantur, & odores suaves exhalent. Gilbertus f. 17. in Cant. qualis unguentorum artifex! qui de mortis olla vitae vapores exire simulat. Qualis artifex! qui ollae succensae faciem quasi ab austro fervere facit: per quam potius ab aquilone mala exardescunt in terra. Aut filius Prophetae est aut certe Propheta, qui mortem in olla deprehendit; & vapores ejus ab Aquilone venire. Sulphurei sunt vapores, quos olla carnis tuae succensa evomit: & tu in illis balsami tibi odores videris sentire? Baeza t. 2. l. 6. c. 3. §. 47.

Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor. Ol. 7. 11. S. Hieron. in Comment. sola columba ablatis pullos non dolet, non requirit.

Comederunt alieni robur ejus, & ipse Polyanth. Sacra. Tom. II.

nescivit. ib. v. 9. Comederunt daemones, & peccata, robur impij, id est, gratiam; & ipse nescivit. S. Bernardus ep. 190. non querit redimi, qui se nescit captivum. Barradius t. 1. l. 10. c. 16.

Expergitur ebrius. Joel. 1. 5. S. Gregor. 33. mor. c. 27. ebrius vocati sunt; qui Mundi hujus amore confusi, mala non sentiunt, quae patiuntur.

Qui fabrum vicinum habet, in principio non potest ob strepitum dormire; sed ad malleorum sonum affuefactus cum eo dormit. Ita qui novitius est in peccando, audit inspirationes divinas, & cordis pulsus, quod à peccato excitatur. Si verò peccare affuecat; Dei inspirationes, & conscientiae, haud percipit. Stella de cont. Mundi p. 2. c. 48.

Exempla, & textus.

Ex Veteri, & Novo.

Serpens decepit me. Gen. 3. 13. Satius diceret, serpens dejecit me in peccatum; vel, occasio fuit, quod Deum offenderim. Arnoldus Carnot. de opere sex die. deceptam se dicit: amplius dolens, quod promissio diaboli effectu caruerit, quam quod ejus suggestioni assensum praebuerit. Baeza t. 2. l. 11. c. 2. §. 4.

Percussit cor suum, eo quod abscidisset oram cblamydis Saul. 1. Reg. 24. 6. Et post gravia scelera, ne uno quidem digito in doloris signum, pectus delibavit. Oliva t. 3. conc. 3. die 5. Ven. in Quadr.

Dolentes, quarebamus te. Luc. 2. 48. Dolentes de amissione Jesu. Sed heu multo hodie plus dolent de amissione denarii. Hugo Card. hic.

Remansit puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt. Luc. 2. 48. Multi per peccatum Christum amittunt, sed jacturam non agnoscunt. Barradius t. 1. l. 10. c. 16.

Erravi sicut ovis, quae periit; quere servum tuum. Pl. 118. 176. Hoc interest inter perditionem ovis, & margaritae: quod ovis, licet perdita, inter dumeta balat; ad cujus balatum accurrit pastor, & illam liberat. Margarita autem perdita non dicit, hic sum; & sic perdita remanet, quousque veniat ancilla purgatura domum: tum margaritam inscia cum sordibus in sterquilinum abjicit. Aliqui peccatores sunt velut oves perdita, balant, suspirant, modosque inquirunt, ut à peccatorum spinis liberentur: ad quorum balatum, & gemitus, venit bonus pastor, & eos à peccatis extrahit. Alij, licet sint Christiani, à collo, & pectore Dei excidunt, in peccato commorantur; non dolent, nec modum quaerunt, quod à peccato exeant: quousque veniat ancilla Dei mors; tum eos in sterquilinum Inferni abjicit. Diez fer. 6. D. Pals.

Eripse avulsus est ab eis. Luc. 22. 41. Hoc loquendi modò ingens Christi in suos amor ostenditur; cum nec per spatium jactis lapidis absque dolore absentiam patiatur. Et tu o anima à Deo extorris tot annis es, & nihil sentis;

tis; & quidem distantia, quæ est inter cælum, & terram. Stella hic.

Ecce, quem amas, infirmatur. Joan. 11. 3. Mundus totus Bethania est, in quo jacent ægri morientes; vel mortui in sepulchro fœtent. Attamen rarissimi sunt, qui se agnoscant obnoxios defectibus, aut cupiditatibus. Illis verbum Dei, quod Lazaro vitam restituit, redderet sanitatem animarum, vel palam è suggestu auditum, vel privatim in correctionibus. Sed cum nemo velit se ægrum fateri, & sua quisque amet vitia; qui ea velit corrigere, excluditur. In domo Marthæ morbus Lazari cognoscitur, metuitur, aperitur; lugetur mortuus; idèd vocatus, qui sanaret: quem *amas infirmatur.* Veni, & vide; jam fœtet. Quare exoratus Christus exclamat: *Lazare veni foras. Nos verò contrà,* quàm sanctæ forores, & prudentes, egerunt; aut morbos nostros ignoramus; aut occultamus, & stultè excusamus. Hinc non mirum, tam paucos esse, qui recipiant vitam; & plurimi, qui similes fœtenti cadaveri, computrescunt in malis consuetudinibus. Oliva t. 3. conc. 8. die 7. Ven. in Quadr.

Nisi videro, non credam. Joan. 20. 25. Thomas, reus mysterij non recepti, & aspernans dogma, quod sit basis novæ Ecclesiæ, agit totos dies octo, faucius licèt tam lethiferâ plagâ; cum tanta animi tranquillitate, ut sibi videretur solus esse illuminatus inter Collegas delusos; nec in vulnere tam acerbo ullum expertus sit conscientiæ stimulum, aut minimum sensum. Ergo non est signum innocentiae, quòd aliquem conscientia sua non pungat. Id. t. 3. conc. 25. in festo S. Thomæ.

Cauteriatam habentium suam conscientiam. 1. Tim. 4. 2. Quòd si quis peccator sceleris conscientia non mordetur, de his est, qui *cauteriatam* &c. id est, ait Theodoretus, extremum mentis stuporem. Hæc est illa insensibilitas Esau, qui *comedit, & bibit, & abiit; parvi pendens, quòd primogenitum vendidisset.* Gen. 25. 34. Hic est ille stupor Balaam, qui afinam humanâ voce loquentem intrepidus audiebat. Num. 22. 28. tam familiaribus dæmonum colloquijs belluarum ministeriò editis utebatur. Hæc est illa inverecundia Judæ; qui ut ait S. Hieron. in Matth. 26. 23. etiam manum mittit cum Magistro in paropsidem; ut audaciâ bonam conscientiam mentiretur. Mendoza in 1. Reg. 3. annot. 4. sect. 2.

Ex Patribus, & aliis.

Bonæ mentis est, vulnus sentire peccati: nam qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbiter: quod est immedicabilis agri-tudinis. S. Ambros. in Pl. 50.

Omne peccatum consuetudinis vilescit, & fit homini, quasi nullum sit. Obduruicam, dolorem perdidit, & valde putre est; sed pro mortuo computandum est. Quando aliquid pungitur, & dolet; aut sanum est, aut est in illo spes aliqua sanitatis: quando autem tangitur, pungitur, calcatur, nec dolet; pro mortuo ha-

bendum ac de corpore præcidendum. S. August. f. D. 4. Adv.

Non querit redimi, qui se nescit esse captivum. S. Bernardus ep. 190.

In animabus dolor, aut bonæ, aut malæ, voluntatis est testis: nam dolor pro amisso bono, pro malo commisso, pro non habendo, quòd habendum est, bonam voluntatem infirmitat. Sic à contrarijs dolor fallacem arguit voluntatem. Bonus erat Virginis dolor. Luc. 2. 48. quia quærens Jesum inter cognatos non inveniebat amissum. Sim. Cas. l. 2. c. 24.

Ex virtute dolet, qui ob peccata conteritur; qui agitur impatientiâ, quousque bonum, quòd amittit, inveniat. Et vehementius est gaudium, cum invenitur deperditum. Id. ib.

Multi statim sentiunt defectus corporis; sed non sentiunt mala animæ. v. g. multi statim sentiunt ventum intrantem per fenestram; sed non sentiunt ventos superbæ, vanæ gloriæ &c. alij statim sentiunt modicum calorem, fortè provenientem ex nimio potu; sed non sentiunt ignem luxuriæ, qui totum comburit: alij statim sentiunt aliquam parvam partem spinæ in digito; sed non sentiunt gladium diaboli, qui totam animam transfodit. Alius statim sentit onus stomachi ex repletione; sed, quando habet stomachum animæ repletum venenò odij, & rancorum; non sentit. S. Vinc. Ferr. f. 4. de SSS. Trinit.

§. XI.

Peccator diabolum respiciens.

Num. 1.

In peccatore diabolus habitat.

Vulpes foveas habent. Matth. 8. 20. Quanti hodieque sunt, quorum in cordibus, cum in ore sanctam conversationem constiteantur, maligni spiritus ita cubant, sicut vulpes in foveis, sicut volucres in nidulis. Et locus in eis non est, *ubi Filius hominis caput suum reclinet.* Rupertus hic.

Dæmonium, & illud erat murum. Luc. 11. 14. Murus est, qui peccatum suum confiteri, & in Dei laudibus labia sua aperire, nescit: dæmonium autem ille habet; qui in aliquo magno peccato perseverat. S. Euseb. Emis. D. 3. Quadr.

Introivit in eum Sathanas. Joan. 13. 27. Significatur, per introitum Sathanæ, tantum augmentum malitiæ in Juda; ut velut habitans in eo fuerit Sathanas: hoc est, ut effectus fuerit Sathanas, utens Juda; sicut habitans in domo utitur illâ. Cajetanus hic.

Qui ejus (diaboli) voluntati subiecti sunt, quasi quietò ab illo jure possidentur, & suspectus eorum rex, quasi quâdam securitate, perfruitur; dum eorum cordibus inconcusâ potestate dominatur. S. Gregor. mor. l. 4. c. 21.

Non est ita magnum à dæmone liberari, ut eripi à peccato. Dæmon non prohibet regnum cœlorum assequi, licèt cooperetur, invitus quidem: peccatum autem ejicit. S. Chryl. hom. 41. in Acta.

Dominici contemptores præcepti, statim ut avertuntur à Deo, à malignis spiritibus occupantur. S. Isidorus l. 2. sentent. c. 15.

Ani-

Anima peccatrix possidetur à septem demonijs. Primum est immoderata sciendi cupiditas: hoc est dæmonium meridianum. Pl. 90. Secundum: immoderata habendi avaritia; hoc est dæmonium mutum. Tertium dominandi ambitio; hoc est Asmodæus Tob. 3. Quartum: carnalium voluptatum delectatio; hoc est dæmonium cœcum. Matth. 12. 22. carnalis concupiscentia, quæ excecatur oculos mentis. Quintum: dæmonium sævum; hoc est nocendi crudelitas. Sextum: detrahendi malignitas; de hoc Apoc. 16. Septimum: desperatio, id est, legio. S. Thom. Aqu. D. 2. Quadr.

Sinè dubiò ejiciuntur dæmonia, cum eradicantur è corde peccata. S. Bernardus l. 1. in Asc. D.

Quot vitia habuerit homo, tot habet dæmones. S. Cæsarius hom. 16.

Num. 2.

Peccator ipse vocatur dæmon, & filius ejus.

Filij alieni mentiri sunt mihi. Pl. 17. 46. Quia promiserant in Baptismo, se de cætero fore filios Dei: & renuntiaverunt Sathanae, & omnibus pompis ejus: & modò se fecerunt filios diaboli per peccatum; inveterati sunt per pravam consuetudinem, quæ indurat hominem in peccato. Hugo Card. hic.

Ex vobis unus diabolus est. Joan. 6. 71. Cujus nomen horrendum est nominare: veruntamen multi nomen exhorrent; sed facta diaboli non abhorrent. Sed tolerabilius esset, diabolum videre, quam esse; ipsum vexantem pati, quam fieri. Ac per hoc si Judas proditor à seipso potuit diabolus fieri; quot igitur depravatâ mente facti diaboli? Quid igitur expedit diabolo spirituali, ut ad culpam homines tentet; si ipsi sibi homines facti sunt dæmones. Nemo causetur adversus invisibilem hostem, dicens: hoc mihi fecit diabolus; si homo à seipso factus est diabolus. Et sicut primus diabolus à seipso factus, non ab alio; sic homo diabolus non fit, nisi à semetipso. Sim. Cas. l. 11. c. 20.

Vos ex patre diabolo estis. Joan. 8. 44. Diabolus pater est omnium peccatorum. V. Beda in Ex. 20. Cajetanus hic: in quo ostendit, eos esse obsequentissimos filios diaboli: utpote qui non expectant præcepta patris, sed spontanei sunt ad implendum desideria patris.

Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. 1. Joan. 3. 7.

Omnes, qui adversantur Dei voluntati, Sathana possunt dici. Orig. hom. 15. in lib. Jesu Nave.

Voluntarius dæmon est peccatum. S. Chrysost. l. 27. in c. 15. Rom.

Polyanthea Sacra. Tom. II.

Num. 3.

Peccator pascit diabolum; est ejus cibus.

Quando dictum est diabolo: *terram comedes.* Gen. 3. 14. dictum est peccatori: *terras, & in terram ibis.* v. 19. (Ita legit S. August.) Datus est ergo diabolo in cibum peccator. Non sumus terra, si nolumus manducari à serpente. S. August. l. de agone Christiano c. 2.

Ut pasceret porcos. Luc. 15. 15. Porci ipsi maligni spiritus sunt: quia in fœtore, & vitiorum stercore, delectantur. Hos autem porcos illi pascunt; qui eorum voluntati obediunt, eorumque desideria complent. Superbia, luxuria, avaritia, & similia, siliquæ sunt; quibus maligni spiritus nutriuntur. &c. S. Basileus. Emils. Sabb. D. 2. Quadr.

Dæmonum cibus est ebrietas, luxuria, fornicatio, & universa vitia. S. Hieron. ep. 146: ad Dom. de filio prod.

Omnis homo, charissimi fratres, in convivio cordis sui, aut Christum, aut diabolum, pascit. Qui superbiam, malitiam, invidiam, luxuriam, & his similia, amare voluerit; diabolum se reficere, & desiderabiles illi talibus malis delicias non dubitat præparare. S. Cæsarius Arelat. hom. 16.

Num. 4.

Varia.

Exultabunt, si motus fuero. Pl. 12. 5. Sicut enim gaudium est in cælis super uno peccatore &c. ita gaudium est dæmonibus super una anima peccatum perpetrante. Hugo Card. hic.

Caput suum movebit, & plaudet manu. Eccli. 12. 19. Hæc obvenient peccatori in hora mortis, & judicij: tunc enim diabolus, qui in hac vita blanditur, ei insultabit; eumque accusabit; & à Christo damnatum lætus, plaudens, subannans, abripiet in tartara. Cornelius hic.

Homicidium, adulterium, diaboli pecunia est. Furtum, falsum testimonium, rapacitas, violentia; hæc omnia diaboli census sunt, & diaboli thesaurus. Origenes hom. 6. in Ex.

Umbra diaboli sunt omnes iniqui: qui, dum imitationi ejus iniquitatis inserviunt, quasi ab ejus corpore speciem imaginis trahunt. S. Gregor. moral. l. 33. c. 4.

Sicut peccatores equi sunt diaboli; ita & Sancti equi sunt Christi: quia diabolus in peccatoribus sedens instigat eos per deserta facinorum, id est, per fornicationes, & avaritias. Ergo equitatus diaboli perditio est? &c. S. Chrysost. hom. 23. in Matth. 21.

Peccare mortaliter, est seipsum vendere diabolo: ideo oportet redimi tribus siclis, si volumus salvari: id est, operibus pœnitentiæ; contritione cum proposito; confessione, afflictione, restitutione, injuriarum remissione. S. Vinc. Ferr. l. de purif. B. V.

Quidam dixerunt: Luciferum, & Leviathan.

Z z z

pra-

præesse superbiæ; de quo Job. 41. 25. *ipse est rex super universos filios superbiæ*: Mammon avaritiæ, Asmodæum luxuriæ, Belphegor gulæ, Sathanam iræ, Behemoth acediæ, Beelzebub invidiæ. Marchantius D. 3. Quadr.

§. XII.

Peccator timet.

Num. 1.

Exempla ex Veteri.

Adam.

Adam ubi es? Gen. 3. 9. Velut latenti, & celanti se à Divinitate, Adæ dicitur: *ubi es?* non quòd Adam conspectum Domini latere potuerit; sed quòd peccatrici conscientiæ nullus locus tutus, vel certus sit; dum meruit deprehendi. S. Maximus hom. 3. de pœnit. Petri.

Vocem tuam audivi in paradiso, & timui. Gen. 3. 10. Peccat primus mortalium, & statim latitat, timore correptus. Leonibus, tygridibus, & bestiis omnibus, hætenus circumseptus; non modò non timebat, sed securus imperabat: & jam timet, jam latebras quaerit. Admissa culpâ timet. Alvarez in Gen. 40. Illustr. 134. S. Chrysof. hom. 17. in Gen. quare, dic oro? quoniam sibi videbat trucem stare accusatorem, conscientiam dico: neque enim alium habebat objurgatorem, & testem peccatorum.

Cain.

Omnis, qui invenerit me, occidet me. Gen. 4. 14. Quid times Cain? *omnis* &c. Pater, & mater, soli. Sed potuit Deus in Cainum belluam irritare. Sic Ambrosio visum l. 2. de Cain c. 9. potuit quidem & morsus bestiarum timere; qui diviniæ jurâ legis violaverat. Velloso in Judith 1. Paræn. 9. Quid deprehensus timet inculcus iste agricola? Ecce, inquit, *ejicis me hodie à facie terræ*: & *omnis* &c. hoc timet, nè agricolari sibi non liceat; nè terram, quam solam amat, vel præsentem vitam, pro admissio facinore perdat. Rupertus l. 4. c. 7. in Gen.

Vagus, & profugus eris super terram. Gen. 4. 12. S. Ambros. cum Sept. *gemens, & tremens eris.* S. Chrysof. l. r. de prov. Dei: primum parricidium Cain inauditò scelere patravit; imò verò facinus parricidîo longè sceleratius: parentes enim incredibili dolore confodit, ac Deo mentitus est. Et pro his omnibus solò timore, & tremore cruciatur.

Edificavit civitatem. Gen. 4. 17. inter tremores conscientiæ. S. Rupertus l. 4. in Gen. quia occiderat fratrem suum, & ob hoc omnibus odiosus; vagus, & profugus, erat: idcirco civitatem, quâ se tutaretur, edificavit. At quem timebat, cum nemo, à quo occideretur, superesset? timebat inprimis ipsum agrum, in quo peccarat, tanquam sui sceleris conscium,

& oculatum quasi testem: & idè se ab illo in urbem colligebat.

Posuitq. Dominus Cain signum. Gen. 4. 15. Quale? communi sententiâ: tremorem capitis; mentis, & vultus, consternationem. Cornelius hic.

Alij.

Et scrutatus es omnem supellectilem meam Gen. 31. 17. Excutiente Laban res Jacob, cum quaereret idola, Jacob timuit; cum autem ea non reperiret, resumptò animò eum acriter reprehendit. Hinc collige, quàm timidum faciat culpa; quàm magnanimum innocentia, Stella de cont. van. p. 2. c. 30.

Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, Gen. 42. 21. Oleaster: optima consideratio, cum pœnam senseris, culpæ meminisse. Theodoretus: inde constare potest apertè, conscientiæ judicium esse inevitabile: reficit enim memoriam sceleris ante duos, & viginti, annis admissi. Alvarez hic. Illustr. 194.

Quos scrutatus, incipiens à majore usque ad minimum, - at illi scissis vestibus. &c. Gen. 44. 12. Paventibus fratribus inventò scyphò, solus Benjamin nil metuìt. Theodoretus: apertè ostensa est conscientiæ testimonij potestas. Alij enim fratres, licet non hujus, aliorum tamen criminum, conscij sibi erant. Mendoza in 1. Reg. 12. Annot. 10. sect. 3.

Quò mortuò, timebant fratres ejus, & mutuo colloquentes: nè forte memor sit injuriæ, quam passus est, & reddat nobis omne malum, quod fecimus; mandaverunt ei dicentes: pater tuus praecepit nobis, antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: obsecro, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum. &c. Gen. 50. 15. &c.

Non intres in judicium cum servo tuo. Pl. 142. 2. Sic rogat Deum timens David. Mirandus Job, qui judicium in seipsum exhorrescere. c. 13. 18. *si suero judicatus, scio, quòd justus inveniar.* Quæ causa diffidentiae in rege, & fiducia in Jobo? Arguebat Davidem conscientia de adulterio, & homicidio; ideo timer judicium: Job verò innocens vixit à puero: *neque reprehendit me cor meum in omni vita mea.* c. 27. 6. Alvarez in Gen. 39. Illustr. 114.

Fugit impius nemine persequente. Prov. 28. 1.

Cogitationes meae in strato meo, & visiones capitis mei conturbaverunt me, Dan. 4. 2. *Erat Petrus dormiens inter duos milites vinculus catenis duabus.* Act. 12. 6. Sed Nabuchodonosor dormit in molli lectulo. Petrus vinculatus, & in periculo mortis, securus dormit; & rex in lectulo perturbatur? *cogitationes capitis,* conscientiæ stimuli &c. Sylveira in Matth. 8. c. 24. q. 8. Quis potentior, & arrogantior, Nabuchodonosore? sed, cum ex uno Daniele captivo suorum scelerum pœnas audisset; *cecidit in faciem suam, & Danielem*

nielem adoravit. Dan. 2. 46. Mendoza in 1. Reg. 3. 18. Annot. 4. sect. 2.

Recessit somnus &c. 1. Machab. 6. 10. *Nunc vero reminiscor malorum, quae feci in Jerusalem.* v. 12.

Num. 2.

Ex Novo.

Discipuli tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud. Matth. 14. 12. Nicephorus l. 1. c. 19. Herodias, Joannis reprehensionem, etiam post capitis resectionem, verita, conjungensque illud reliquo corpori, timens; apud se sepeliendum remotis arbitris, in abstrusiore regiae loco duxit. Idem asserit V. Beda, Rufinus l. 11. hist. c. 28. Vide hic panicos timores malae conscientiae: Herodias enim verebatur; si caput Joannis corpori jungeretur, quod resurgeret; rursusque animaretur; & contra incestas suas cum Herode nuptias detoneret: sicut Herodes putabat Joannem resurrexisse in Christo, in eumque transisse. Cornelius hic.

Simon dormis? Marci 14. 37. non potuisti unâ horâ vigilare mecum? Matth. 26. 40. Cur Petrus, qui solitus erat respondere? hic, cum arguitur, taceat? Petrus à sua constantia agnovit se defecisse; cum nec vigilaret, nec oraret: & ideo, dum arguitur de somno, conscientiam urgente, expavit; qui antea multa cum confidentia loquebatur. Sylveira hic.

Arescentibus hominibus pra timore &c. Luc. 21. 26. Non putes, parvam esse poenam impiorum timorem hunc. Imò, licet ignis deesset; vel hic solus timor impios vehementissimè vexaret. S. Paulus Hebr. 10. 26. 27. inter ingentes impiorum dolores hunc numerat: *voluntariè peccantibus - terribilis autem quadam expectatio judicij.* S. Anselmus hic: etiam timor judicij resurgentibus malis est poena inenarrabilis, & gravior, quam gehenna. Baeza t. 3. l. 13. c. 1. §. 10.

Nuna. 3.

Sententia ex Veteri.

Dabo pavorem in cordibus eorum, in regionibus hostium; terreat eos sonitus solij volantis; & ita surgent quasi gladium: cadent, nullò persequente, &c. Levit. 26. 36.

Dabit tibi Dominus ibi cor pavidum, & deficientes oculos, & animam consumptam marore, &c. Deut. 28. 65. 66. &c.

Num. 4.

Sententiae Patrum.

Quod corpori frigus est, hoc est animae mala conscientia: unde & timiditas nascitur. S. Chrysost. hom. 7. in ep. 2. Corinth. c. 3.

Peccatori neque somnus suavis; sed terrore, & formidine, plenus; neque cibus voluptatem praebet; neque amicorum colloquia talem refocillare, aut liberare, de anxietate possunt. S. Chrysost. hom. 20. in Gen.

Timor eorum est, qui offenderunt. S. Basilii Seleuc. or. de sanctis. Dei genitrice &c.

Qui suam conscientiam non timet, is est, qui Deum non timet. S. Zeno Ver. l. de fide.

§. XIII.

Peccator est in tenebris, odit lucem, est nox.

Ex Veteri.

Divisit lucem à tenebris. Gen. 1. 4. Jam tunc Deus juxta praesentiae gratiam, divisit justos, id est, filios Dei, & lucis, à peccatoribus, tanquam à tenebris: istos vocans diem, illos noctem. S. Ilidorus Comm. in Gen. c. 2.

Cum audissent vocem Domini - ad auram post meridiem. Gen. 3. 8. Sept. *ambulantis ad vesperam.* S. Ambros. ad Pf. 89. denique in paradiso, ubi semper matutinus erat dies, vesper est factus: quoniam omnia peccata tenebrosa sunt. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 3. sect. 1. obs. 6.

Ingressi sunt in Egyptum. Ex. 1. 1. Aegyptus, quod *tenebra* dicitur, peccata sunt; quae male agentes ad tenebras exteriores ducunt. S. Honorius l. D. Palm.

Fiat via illorum tenebra, & lubricum. Pf. 34. 6. In contrarium peccatoribus verti omnia postulat; ut via propria, quae illis videtur lucida, vel fixa; cum in eadem delectabiliter commorantur; fiat illis tenebrosa; quam horreant: & lubrica; ut in eadem diutius stare non possint. Cassiodorus hic.

Timor, & tremor, venerunt super me; & contexerunt me tenebra. Pf. 54. 6.

Convertentur ad vesperam. Pf. 58. 15. An non ad vesperam se convertere congruè memorantur; qui, desertà luce veritatis, soleque justitiae, delictorum sectantur tenebras? & qui lucis filij antea nuncupabantur, nunc noctis esse dicantur? Ad vesperam se convertit Adam; quando, contra praeceptum Conditoris, vetitum comedendo, deliquit. Proinde Dominum inter paradisi ligna latitantem non manè, neque meridiè, sed post meridiem, sacra eloquia illum reperisse testantur. S. Laur. Just. l. de vita solit. c. 9.

Via impiorum tenebrosa: nesciant, ubi corrumpant. Prov. 4. 19.

Occidit sol cum adhuc esset dies. Jer. 15. 9. Occidit homini sol, cum in peccatum mortale prolabitur: tunc enim Christum, solem justitiae, gratiam, & vitam animae, deperdit; & in horrendas tenebras, quin & in mortem praesentem, & aeternam, corrui. Ita S. Hieron. apud Cornelium hic.

Ex Novo, & Patribus.

Lux in tenebris lucet. Joan. 1. 5. Noli cadere in peccatum; & non tibi occidet hic sol: si tu feceris casum, tibi faciet occasum. S. August. tr. 2. in Joan.

Z z 3

Omnis

Omnis, qui malè agit, odit lucem. Joan. 3. 20. Deus in luce operatur. Cùm orbem condidit, primà die dixit: *fiat lux.* Lux, est & lucis amicus. At diabolus initio operum suorum dicit: *fiant tenebræ.* Barradius tom. 2. l. 9. c. 3. D. 5. Epiph.

Abjiciamus opera tenebrarum. Rom. 13. 12. Dicuntur opera tenebrarum opera peccatorum. Primò, quia in seipsis privata sunt lumine rationis, quò illustrari debent humana opera. Ecclæ 2. 14. *sapientis oculi in capite ejus; stultus in tenebris ambulat.* Secundò in tenebris aguntur. Job. 24. 15. *oculus aduulteri observat caliginem.* Tertio quia per eas homo ad tenebras ducitur. Matth. 22. 13. *mittite eum in tenebras exteriores.* S. Thom. Aqu. lect. 1. in c. 13. Rom.

Quid est peccatoris vita, nisi nox? Unde & per Paulum conversis peccatoribus dicitur Eph. 6. 8. *Eratis aliquando tenebræ.* S. Gregor. l. 6. Exposit. in I. Reg. 15.

Quid peccatores, nisi nox? Id. in Pf. pœnit. 50.

Non sunt tales tenebræ noctis, quales illæ sunt, quæ de confusione veniunt peccatorum. S. Chrysol. l. 3.

Quid peccator dixerim: nisi tenebras, per quod intellectus noster obtunditur, & obumbratur; nè veritatis lumen aspiciat. S. Laur. Just. ligno vitæ de virt. fidei c. 1.

Tentatio diabolica noctem ingerit; inspiratio divina diem facit. Toties verò noctis tenebras ineurimus, quoties per ignorantiam, vel per malitiam, peccamus. Richardus à S. Viêt. l. de verbo incarnat. c. 14.

§. XIV.

Peccator obnoxius infamiae, proditur.

Similitudines.

Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens. Pf. 21. 14. In hoc leone, qui primùm rapit, tum rugit, sceleris imago adumbrata: non enim perstreptit, cùm prædatur; sed cùm rapuerit. In silentio peccas; sed non tacebit iniquitas, cùm te prostraverit. Cain Gen. 4. 8. clam occidit fratrem: nullus homicidij testis, nullus Judex: in agrum exijt; ut secretò faveret. Sed, patratò scelere, ipse sanguis iniquè profusus clamare cœpit de terra. David quid non egit, ut scelus occultissimè peractum obtegeret? adhuc prædicatur super tecta. Ut fulmen non antè, sed post stragem, perstreptit; ita flagitia tonant, cùm faverint. An non in mari occultissimè mergeris? ad imum usque descendis: ubi verò perieris, ab imo ad summum eggereris: ut, qui nullò teste perijisti, teste Mundo perijisse cognoscaris: prostabit cadaver, qui demersus est vivens. Quid? quòd etiam in corde tuo leo rapit sinè rugitu; sed, ut rapuerit, in horrendam vociferationem erumpit. Tam occultè sol è sterquilinio elevat vapores, ut à nullo visus rapina deprehendatur. Sed coacta in nubem præda, nubibus, imbris, fulguribus, to-

nitruis, raptorem, furtumque deprædicat. Oliva l. 11. Strom. 3. aperuerunt super me os suum &c.

Despoliaverunt eum. Luc. 10. 30. Denudant, priusquam vulnerent: ut & innocentiam, & famam, eodem temporis puncto, se privati peccator intelligat. Diripit involucri peccatum, ut proftet crimen. Frustrà ergo occultari speras, quæ clam flagitia patras. Oliva l. 13. Strom. hic.

Candelam extinctam fœtor validus comitatur; peccatorem infamia, Berengarius similitud.

Exempla, & textus.

Ex Veteri, & Novo.

Consuerunt folia ficus. Gen. 3. 7. Primi peccatores, ut pudorem peccati tegant, configiunt ad folia ficus; quæ potius notæ, & signa peccati fuerunt, quàm velamen. S. Basilus Se-leuc. tales dæmonis sunt machinationes: cum voluptate fauciat, & accusat pudendum in modum: ad ruinam impellit; & cadentes publicis ignominiam notis consignat. Bæzat, 3. l. 13. c. 1. §. 7.

Sin autem egeris malè; statim in foribus peccatum aderit. Gen. 4. 7. Hugo Victorinus hic: peccatum, quod est in foribus, ut exeat, prava voluntas est; quæ non potest celari, quin aliquando exeat, & appareat aliquò signò. ibidem.

Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite. Ex. 1. 22. ut sic latenter omnium sanguinem effunderet. Ex. 7. 20. in pœnam elevans Aaron virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone, quæ versa est in sanguinem. Theodoretus q. 29. in Ex. fluvius ille mutatus in sanguinem conque-ritur de cœde puerorum. Aqua rubentes ejus sævitiæ accusabant, & scelus coram populo divulgabant. Castillo illat. 116.

Tu fecisti absconditè. 2. Reg. 12. 12. David tam solerter culpam absconderat; ut famæ securissimus viveret: persuasus, facinus notum esse uni domestico, quem miserat ad matronam. Sed adeò non tecta est lascivia regij lecti spariò; ut in totam Palæstinam divulgata sit, & omnes populos Judææ; imò & ad eos, qui Israëlis Deo maledicebant: *quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini.* Ecce quòd pervenit illud: *fecisti absconditè.* Non juvit ad occultandum fides domestici, mulieris deceptæ silentium, occisi sepulchrum, conclavis unius parietes, nec sollicitudo regis. Oliva t. 3. conc. 23. de Imm. Concept.

Ingredere uxor Feroeam; quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuntius. 3. Reg. 14. 6. Latere non potuit regina; licèt ostiaria similior, quàm regina. Ea est improbitatis virulentia; ut tegi nequeat. Sicut aureis tintinnabulis Pontifex. Ex. 28. 34. 35. noscebatur templi adytz ingressurus; ita ferreis proditur tintinnabulis pravitas animi: quæ silens quoque vocalis est, & in pro-

probrum suum, non sonora tantum, sed & strepera. Oliva D. 2. Quadr.

Qui cogit averunt iniquitates in corde, tota die constituebant praelia. Pf. 139. 3. Videtur, ut abstrusum praeordij scelus ita erumpat; ut belli se fragoribus prodatur; explicatisque signis adesse se non fateatur solum, sed reboet. *Acuerunt linguas suas sicut serpentes.* v. 4. Solus serpens linguam semper vibrat: animantes reliquae, licet feræ, raro rictum deducunt. Linguam serpens eventilat: quasi absconditam pestem vel invitum prodere cogatur. Id. ib.

Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus: dolores parturientis ventent ei. Ol. 13. 12.

David autem Rex genuit Salomonem ex ea, quae fuit Uria. Matth. 1. 6. Nihil ita procuravit David, quam ne conceptum cum Bethsabea scelus detegeretur, & usquam non emineret. Nam hic quoque, ubi ex nupta jam sibi foemina Salomonem genuit, Uria erumpit; nunquam satis oppressus, & nunquam non paratus patri à Davide criminis, aut delator, aut vindex. Oliva l. 6. Strom. §. David autem genuit &c.

Ve praegnantibus &c. Matth. 24. 19. Euseb. Emis. praegnantibus sunt illae animae, quae per hypocritam peccata sua abscondere volunt. Gravida non potest dissimulare uteri onus. Did. Nifs. D. 5. Quadr. §. 1.

Peccavi, tradens sanguinem iustum. Matth. 27. 4. Drogo Ost. de Pass. D. quod fecerat in occulto, palam omnibus innotuit. Quid non fecit Judas, ut aium celaret scelus? oris amabili osculo cordis virus celabat; sed, loquente nemine, seipsum prodidit. Castillo Illar. 117.

§. XV.

Peccator deseritur à Deo, Deum deserit.

Ex Veteri.

Quum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso. Gen. 3. 8. Dion. Carth. Deus deambulavit; quasi suo motu designans, se recessisse ab eis, in quibus ante per gratiam mansit.

Dimitte me - non dimittam te. Gen. 32. 26. Rupertus l. 8. in Gen. c. 6. Jacob cum Deo luctatur, & victor benedictionem extorquet; quasi invito, & nolenti, ac dicenti: *dimitte me*: quia videlicet sic futurum erat; ut comminaretur Deus, sese à semine ejus recedere, propter peccata ejusdem gentis rebellis, & incredulae. Hinc fugam meditantem stringit manibus, brachij ligat, devincit lacrymarum nexibus. Arcones in Il. 1. Disc. 4.

Quare ergo non timuistis detrahere serwo meo Moysi? iratusque contra eos abiit; nubes quoque recessit, quae erat super tabernaculum. Num. 12. 8. 9. &c. Magna ira, quod ab Aaron, & Maria, fugiat Deus; & nubes protectionis à tentorio recedat. Id. ib.

Arca Dei cum Dagon non sociatur. 1. Reg. 5. 3. nec Christus cum diabolo; nec virtus cum vitio. Mendoza hic Annot. 16. sect. 1.

Quid interrogas me? cum Dominus recesserit à te. 1. Reg. 28. 16. q. d. quid bellum exitum habere cupis exploratum? cui, ut se Deus subtraxit, ita feliciter nihil evenire potest. Seu enim victus occumbas; quid victoriae jacturam cures, qui Deum perdidisti? Seu triumpho potiaris; quid magnum referas à Deo destitutus? Quid tibi finistrum accidat, minus malum erit; quam, quod te maxime premit; Dei derelictio. Did. Nifs. D. 12. Pent. §. 5.

Hac dicit Dominus: vos reliquistis me; & ego reliqui vos in manu Sefac. &c. 2. Paral. 12. 5.

Si qualieritis cum (Dominum) invenieritis; si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. 2. Paral. 15. 2.

Domine ne declines in ira à servo tuo. Pf. 26. 9. O sanctum timorem! quod Deum, etiam iratum, à se declinare metuebat: equidem dum adest Deus, non debet esse timori etiam divina ira: unum solum timendum malum; ne Deus absit, nec ab ejus praesentia excidamus. Baeza t. 1. l. 1. c. 2. §. 1.

Qui dat nivem sicut lanam &c. Pf. 147. 16. Videmus nivem, nebulam, crystallum: bonum est, ut ille spiret, & solvat: si enim ille non spiraverit, si non ipse duritiem glaciei hujus dissolverit; *ante faciem frigoris ejus &c.* Cajus? Dei. Unde est ejus frigus? ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam. S. August. hic.

Ve soli! Ecclae 4. 10. Solus namque est, qui à Deo relinquitur. Hunc certe cadentem nullus erigit: quia relictum à Deo sanctorum aliquis non assumit. S. Gregor. in 1. Reg. 10.

Vivemus in conspectu ejus. Ol. 6. 3. Abstrahatur Deus; fugam cum ipso arripiente vita mors premet delinquentem. S. Hieron. *vivemus in conspectu ejus*, qui illud absente mortui jacebimus. Escobar t. 2. Perf. Chr. l. 11. sect. 3. Obs. 2.

Vae eis! cum recessero ab eis. Ol. 9. 12.

Ex Novo, & Patribus.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Matth. 23. 38. Quare deserta? quia deseruit. Inhaeret nobis Deus, si sibi adhererimus. Neque portus, & civitates, deserunt naves, immobiles enim sunt; sed versà vice naves vento commissa, aut remis agitatae, recedunt. Sim. Cas. l. 8. c. 37.

Ego sum vitis, vos palmites. Joan. 15. 5. Unum è duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis. Si in vite non est, in igne erit: ut ergo in igne non sit, in vite sit. V. Beda in Joan. 13.

Si quis in me non manserit, mittetur foras &c. Joan. 15. 6. O tremenda sententia! ô horrificas minans poenas! Nimirum mitti foras extra Ecclesiam, extra Dei protectionem

&c.

& curam, & extra meritorum Christi participationem: quia in eo per charitatem manere non uoluerunt. de Ponte in Cant. 2. Exh. 19. §. 3.

Quod facis, fac citius. Joan. 13. 27. S. Ambros. l. 2. de Abel & Cain c. 4. ut, quia introierat in illum Sathanas, ipse à Christo abiret. Ejicitur itaque, & excluditur: eò quòd jam cum Domino Jesu esse non possit; quia cœperat esse cum diabolo. Nulla enim communicatio. Christi ad Belial.

Si susceperimus Christum in hospitio nostri peccatoris, illicò fugamus diabolum: si peccaverimus, & per peccati januam ingressus fuerit diabolus; protinus Christus recedit. S. Hieron. l. 2. aduers. Iovin.

Quocunq; iero, tu me Domine non deseris; nisi prior ego te deseram. S. August. foliloq. c. 14.

Nunquam prius Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur. S. August. l. 1. fer. 4. D. 3. Quadr.

§. XVI.

Peccator est vilis, pulvis terra.

Ec.

Ex Veteri.

Pulvis es. Gen. 3. 19. Sicut de protoplasto, qui legem transgressus est, gloriam, quã regebatur, amisit, mortisque pœnæ obnoxius fuit factus, dicebat: terra es, & in terram ibis: ita & hic, quia plurimum invaluerant peccata, inquit: *corrupta erat terra.* S. Chrysost. hom. 23. in Gen.

Videntes filij Dei Ec. Gen. 6. 2. Filij Dei vocantur hic filij Seth, ob sanctitatem. Itã S. Chrysost. Cyrillus, Rupertus, Hilarius. Secundò est phrasis Hebræa: Hebræj omnia fortia, magna, egregia, dicunt esse Dei: montes Dei, cœdi Dei. Sic vocantur filij Seth: quia robusti, viribus formã, staturã, eximij. E contra filij, & filia, Caini, vocantur filij, & filia, hominum: quia erant peruersi, & terræ affixi. Cornelius hic.

Adducant ad te vaccam rufam. Num. 19. 2. Rufus, sive sanguineus color, symbolum est peccati. Significabat rufa vacca, peccatorem reum esse sanguinis, & mortis; æque ac combustionis in igne gehennæ: hæc enim vacca comburebatur. Cornelius hic.

Tanquam pulvis. Pf. 1. 4. Hic notantur tria sub uno membro; quæ faciunt hominem miserum. Primum est inconstantia: quia, sicut pulvis est levis, & mobilis; sic peccator. Secundum ariditas. Tertium sterilitas. Hugo Card. hic. Peccatores pulvis, quia multi. 2. Reg. 1. 21. *Montes Gelboe Ec.* quia viles. Jer. 2. 36. *quã vilis facta es, nimis iterans vias tuas.* Hugo Card. in Pf. 29. 4.

Capilli tui sicut greges caprarum. Cant. 4. 1. Hæc capillorum laus intelligenda, quamdiu capiti suo inhaerent: cum ab eo separantur, non amplius crescunt, nec æstimantur; & omnis laus vertitur in contrariam ignomi-

niam: quòd enim altiorem habebant locum, tantò viliores postea fortiuntur; cum mittuntur in sterquilinum, & conculcantur. de Ponte hic l. 7. Exh. 2. §. 4.

Si non peccaverimus; scimus, quoniam apud te sumus computari. Sap. 15. 2. Dicuntur boni esse computati, sicut dilecti, & electi: & bene possunt computari, quia pauci. Mali autem non computantur à Deo: sicut nullus computat monetam reprobam. Jer. 6. 30. *argentum reprobum vocate eos.* S. Bonavent. hic.

Descende, sede in pulvere filia Babylon, sede in terra. M. 47. 1. Itã & Jerusalem nostra quoties in confusionem peccatorum venerit, non est ei solium, neque thronus, neque ulla dignitas celsitudinis; sed in terræ pulvere sedere jure perhibetur. S. Paschal. l. 1. in Thr. 1.

Ollam succensam ego video. Jer. 1. 13. Anima peccatrix dicitur olla, propter concupiscentiã fervorem, propter maculã nigredinem. Nahum 2. 10. *facies omnium sicut nigredo olla.* Et prædicta olla succenditur igne in ordinati amoris, iræ, & contentionis. S. Thom. Aqu. hic.

Quomodo obscuratum est aurum. Thren. 4. 1. Anima se jure deplorat; quæ fuit prius per fontem Baptismi nive caudidius dealbata; & per infusionem Spiritus S. aurò pulchris colorata: nunc vero, aut hæresi est infecta; aut vitij, & sceleribus, obfuscata. S. Paschalius hic.

Ex Novo, & Patribus.

Digito scribebat in terra. Joan. 8. 6. ad significandum, quòd ipsi, & omnes mali, in terra scribuntur in terra, non in coelo. Hugo Card. hic.

Peccatum hominem parvum facit, & exiguum: virtus eminentem præstat, & magnum. Sicut enim aegritudo corporis exile, & exiguum, facit, corpus hominis; sanitas verò lætum reddit, & validum, itã intellige; quia & animam aegritudo quidem peccati humilem facit, & parvam; sanitas verò interioris hominis magnam. Origenes hom. 12. in Levit.

Ubicunq; in Scripturis sanctis legitur, *habitator*, aut *habitatores terræ*; si priora, & sequentia spectemus; liquidò Scripturarum poterit comprobari hæc regula; plerumque habitatores terræ peccatores appellari. S. Hieron. ep. ad Dardanum.

Innocentia decerpuros alimenta ex arboribus; adhuc sibi bene confcios homines, ad superna subvexit: & commissum delictum, ad conquienda frumenta, homines terræ, soloque, dejecit. Tertull. ep. de cibis Judæis.

Nihil est virò vilius (etsi rex sit) quando est vitio deditus: quemadmodum nihil est vel captivò regalius, ac magnificentius; quamdiu virtutem possederit. S. Chrysost. in Pf. 6. 8.

Jacemus in vitij, & jacemus oppressi: stamus; cum bonis operibus erigimur ad profectum. S. Chrysost. l. 54. Ho-

Homo, quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus es Deo? quare sic honoratus à Deo te ipsum taliter inhonoras? Id. l. 148.

Cecidit homo per suggestionem, delectationem, consensum; ab illa summa, & pulchra trinitate: scilicet potentia, sapientia, puritate; in quendam contrariam, & foedam, trinitatem, infirmitatem, cœcitatē, immunditiam. Drog. Oist. lib. de creat. & redempt. primi hominis.

Peccatum est sicut putredo in pomo: sicut enim putredo auferit pomo decorem, valorem, colorem, odorem, & saporem; sic peccatum auferit animæ decorem vitæ, odorem famæ, valorem gratiæ, & saporem gloriæ. S. Bonaventura Diat. sal. c. 2. de vitijis in speciali.

§. XVII.

Peccator fit nihil.

NE tradas Domine Sceptrum tuum his, qui non sunt. Esth. 14. 11. id est, peccatoribus; qui sunt, tanquam non sint. Sylveira in Joan. 16. q. 8.

Cor mundum crea in me. Pf. 50. 12. **Crea dicit, quasi ex nihilo:** quia esse morale perdidit; secundum quod peccatori dicitur. Ezech. 28. 19. **nihil factus es.** Pf. 72. 22. **ad nihilum redactus sum.** Jer. 5. 21. **audi popule stulte, qui non habes cor.** Hugo Card. hic.

Emittes spiritum tuum, & creabuntur. Pf. 103. 30. Dices: nonne creati sumus? Dico, quod creare, secundum Theologos, est, ex nihilo aliquid facere: & cum in peccato estis, nihil estis, juxta 1. Cor. 13. **si charitatem non habueris, nihil tibi prodest.** Unde recipiendo Spiritum S. homo esse gratuitum recipit per gratiam, qui nihil erat per peccatum. Diez conc. 4. fer. 2. Pent.

Aspexi terram: & ecce vacua erat, & nihil. Jer. 4. 23. & v. 25. **intuitus sum, & non erat homo.**

Patres nostri peccaverunt, & non sunt. Thr. 5. 7. Non vacat ab intellectu, quomodo non sint, qui omnino & jam, & post mortem, esse non creduntur. Omnis enim peccator ex eo, quod delinquit, & peccat, ad nihilum redigitur, & non est. Et ideo non est; quia ab eo, qui semper est, corrui. S. Paschasius hic.

Homo, non sum. Luc. 22. 58. Non ait, non sum Discipulus Jesu; sed, **non sum.** Jesum negans, se quoque negat. S. Ambros. l. 10. in Luc. quia videbatur negare societatem Christi, utique se negavit. Sylveira in Joan. 16. q. 8.

Peccatum nihil est; & nihil sunt homines, cum peccant. S. August. tr. 1. in Joan.

Toties nihil factus sum, quoties à te separatus sum. Id. soliloqu. c. 5.

§. XVIII.

Peccator inveteratus senex.

Inveteravi inter omnes inimicos meos. Pf. 6. 8. Bene dicitur homo inveterari per peccatum; propter multas causas. Una est: quia sicut senes amittunt visum, sic peccatores amittunt spirituales visum. Item amittunt dentes; sic peccatores dentes dilectionis. Item amittunt virtutem gustandi; sic peccatores spiritualiter. Item auditum amittunt senes; sic peccatores. Item fiunt tremuli; sic peccatores. Item infatuantur. Hugo Card. hic.

Nihil facit ad inveterare, ut natura peccati. Quando ergo à peccato inveteraveris, renova te ipsum per poenitentiam. S. Chrysoft. in Pf. 6.

Pecuniæ amor, absurdarumque concupiscentiarum servitus; atque simpliciter omne peccatum, operatorem suum, putrem, ac vetustum reddere solet: quod verò vetustum, senioque confectum, propè est ad interitum. S. Chrysoft. serm. 10. in Rom. 6.

Animæ nostræ senescunt de peccato mortali: quia omnes defectus, quos senectus dat corpori naturaliter, peccatum dat animæ spiritualiter. Primus est, dealbatio capillorum: capilli animæ sunt variæ cogitationes. Persona existens in gratia habebat capillos nigros, id est, cogitationes humiles cogitando proprios defectus; quos peccator non cognoscit. Secundus: obturatio sensuum: humores enim grossi abundant in senibus. 2. Reg. 19. 35. **nunquid vigent sensus mei &c.** sic peccator nihil sentit de malis animæ; cum mala corporis optimè sentiant. Tertius corrugatio pellis: plena pellis in juvene est conversatio exterior. Et sicut pellis cœperit carnem, sanguinem, & ossa; ita conversatio: persona enim sancta talis est intrâ, qualem se ostendit extrâ. Quando autem cadit in peccatum, veretur ostendere; & aliter ostendit extrâ, quam sit intus. Quartus incurvatio capitis. Ratio naturalis: quia sicut ignis emittit flammam in altum; ita cor hominis juvenis est ita ardens, ut faciat ire rectè: sed quando calor cordis minuitur, caput inclinatur. Persona sine peccato habet caput animæ, scilicet, cogitationes, erectum, cogitando Deum, cœlestia &c. Peccator non delectatur respicere cœlum &c. His dicitur Luc. 21. 28. **respicite, & levate capita vestra.** Quintus debilitatio membrorum: ideo baculo sustentatur. **Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.** Thr. 1. 8. Quando persona est in gratia, habet genua, manus, & omnia membra, firma ad orandum; fecus in senectute peccati. Sextus appropinquatio mortis. Licet moriantur æquè juvenes, quam senes; naturaliter tamen plus juvenis distat à morte: **quod antiquatur, & senescit, propè interitum est.** Hebr. 8. 13. S. Vinc. Ferr. l. 4. D. 19. Trinit.

§. XIX.

Peccatoris variae miserie.

ERAT vir unus. 1. Reg. 1. 1. Vide, si non hoc ipsum pertinet ad laudem iusti, quod dicitur de eo, *erat vir unus.* Nos qui adhuc peccatores sumus, non possumus istum titulum laudis acquirere: quia unusquisque nostrum non est unus, sed est multi. Intuere namque alicujus vultum nunc irati, nunc iterum tristici, paulò post rursus gaudentis; & iterum turbati, & rursus lenis. Vides, quomodo ille, qui putatur unus esse, non est unus; sed tot in eo personæ videntur esse, quot mores. Origenes hic.

In circuitu impij ambulat. Pl. 11. 9. Ut pacem Ægyptij exprimerent, centri punctum pinxerunt. Quidquid non quiescit in puncto immobili, pax non est. Ergo impossibile, peccatores pace potiri: quia non in puncto quiescunt, sed *in circuitu ambulat:* id est, ait Cajetanus, in circumferentia, procul à centro veritatis, & virtutis. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 9. sect. 2. obf. 1.

Vox Domini concutientis desertum. Pl. 28. 8. Cor peccatoris dicitur desertum propter quatuor: sterile est propter otiositatem: incultum est per negligentiam: à feris inhabitatum per monstruorum peccatorum ad inventionem: infructuosus arboribus est constitutum per pravorum morum consuetudinem. Hugo Card. hic.

Qua est ista de deserto. Cant. 8. 5. Desertum est cor malum: quia cultum non est; & germinat inopia, & in eo bestia habitat. Hugo à S. Victore hic.

Nihil est infelicitus felicitate peccantium; quæ pœnalis nutritur impunitas; & mala voluntas, velut hostis interior, roboratur. S. August. ep. 5.

Omnis malus est miser. S. Gregor. Nyss. l. 3. de provid. c. 5.

§. XX

*Peccator non dolet, non flet, quia peccata sua nescit.**Ex Veteri.*

PECCAVI Domino. 2. Reg. 12. 13. David peccatum suum non considerabat; & ideo minime flebat. At ubi à Propheta propositum vidit; in lacrymas, & contritionem, prorupit. Barradius t. 3. l. 7. c. 9. D. 9. Pent.

Quoniam iniquitates mea superversa sunt caput meum. Pl. 37. 5. Hæc est causa, cur sensum doloris, quam per esset, ex peccatis suis pauci percipiunt: quia peccati magnitudinem pauci in statera serice cogitationis appendunt. Bellarminus hic.

Vidi cuncta, qua sunt sub sole: & ecce universa vanitas, & afflictio spiritus. Eccl. 1. 14. Sub sole est vanitas, super solem veritas. Anima ergo, quæ est sub sole per amorem temporalium; & non est super solem,

per contemplationem supernorum; quid aliud habet facere, nisi flere, & gemere? Et bene conjunguntur *vanitas, & afflictio spiritus:* ubi est vanitas felicitatis terrena, ibi afflictio mortis æterna. Ramirez in ep. 7. Apoc. 3. v. 17.

Qui addit scientiam, addit & laborem. Eccl. 1. 18. quia quanto melius homo agnoscit bona, & mala; tanto magis affligitur, quando errat. Job. 42. 56. *nunc oculus meus videt te, idcirco ipse me reprehendo, & ago penitentiam in favilla, & cinere.* S. Bonaventura hic. S. August. l. de spir. & anima c. 49. quia & quanto homo magis sua mala intelligit; tanto amplius suspirat, & genuit.

Salonius hic: quanto quisque plus in sapientia proficit, tanto magis irascitur sibi de malis operibus, quæ gessit; & contristatur, & dolet de peccatis suis; ideoque addit & laborem: quia, quanto amplius cœlestia, & æterna, cognoscit; tanto magis dolendo, & flendo, laborat; ut errorum laqueos evadere possit; & liberari valeat de hujus sæculi molestia. S. Laur. Just. lib. de triumph. &c. c. 19. unò Jesus tempore fruebatur Dei visione, & intolerabili passione gemebat; ut tota divinæ fruitionis gloria in eo militaret ad pœnam. Nam quemadmodum omnes cognitione antecessit; ita etiam & mœnore. Apposita illi est scientia, appositus est, & dolor. Bæza t. 2. l. 12. c. 5.

In tenebrosis collocavit me. Thr. 3. 6. Moraliter: anima, amisso lumine, collocata in tenebris, quasi mortua in sempiternum: nec seipsam, qualis sit, quam misera, quam infelix; quibusve oppressa malis, & nudata bonis, videre valet: auferuntur enim judicia Dei ab hujusmodi anima. Hoc semper inimicus gaudet, ne se misera anima de tenebris ad lucem explicare queat. S. Palchaf. hic.

Ex Novo, & Patribus.

Lacrymis cepit rigare pedes ejus. Luc. 7. 38. Quia sua peccata clarè advertit, dignè pensavit; seipsam profundissime humiliavit, ineffabiliterque contempsit. Ideo non solum non verebatur confundi, despici, irrideri: imò omnia ista optavit; ut Deo, quem ipsa inhonoravit, aliquam recompensationem, honoremque faceret. Dion. Carthuf. hic.

Videns civitatem flevit. Luc. 19. 41. Quia vidit, flevit: nos verò, quia non videmus, flemus. Si videremus nostræ civitatis, id est, animæ nostræ mala, fleremus. Videre, & flere, oculorum est: iisdem, quibus videmus, oculis flemus. Solus homo plorat, qui ratione præstat; reliqua animantia rationis expertia etiam carent fletu. Quamdiu in utero laet in fans, non plorat; prodiens in lucem plorat. Sic, quamdiu in utero ignorantia est homo, mala sua non deslet; lucem veritatis intuens lacrymatur. Heu! quot homines inftar infantium, suorum malorum obliiti, malè securi, læti, absque lacrymis. Postquam verò scelera, quibus se inquinaverunt, gravissima; Dei majestatem, quam

laserunt; iustitia divina rigorem, poenarum cernunt aeternitatem; lacrymis, & contritione, cor perfundunt. Sol vapores à terra elevat, ex quibus fit pluvia; sic intellectus, sol noster, ex conspectis malis vapores quosdam elevat; ex quibus pluvia salutaris oritur lacrymarum. Barradius t. 3. l. 7. c. 9. D. 9. Pent. Notissima duo, *videns flevit*. O anima! si videres, fletes: sed quia non vides, ideo non fles. Ramirez in ep. 7. Apoc. 3. 17. *& nescis, quia tu es miser*. Quis non fletet super Jerusalem, qui illam, & fines ejus, perfectissime videret, ut Jesus vidit. Nemo sic potest lapidescere; qui si res videret, & bene cognosceret, quae circa se sunt, aliud nolle, quam copiosas lacrymas fundere. Flets aiebat Christus, *si cognovisses & tu*; quasi ideo secum non fleant, quia secum non cognoscunt. Baeza t. 2. l. 12. c. 5. Perversa anima, rebus praesentibus dedita, in terrenis voluptatibus resoluta abscondit sibi mala sequentia: quia videre futura refugit, quae praesentem laetitiam perturbant: dumque in praesentis vitae delectationibus se deserit; quid aliquid, quam clausis oculis ad ignem vadit. S. Gregor. hom. 39. in Evang.

Si cognovisses & tu. Luc. 19. 42. Subaudi everisionem, quae tibi imminet; & tu fletes, quemadmodum ego. S. Gregor. hom. 39. Si cognovisses mala, quae imminet; & tu quaque fletes. S. Paschal. in Thr. 3.

Initium salutis est, sua intelligere, & flere peccata. S. Hieron. in Il. 15.

Cito culpa, quae cito cognoscitur, corrigitur. V. Beda hom. die Ciner.

Et legimus, & experientia probatum est; si quem Deus permittit videre peccata sua, sicut ipse ea videt; mox pra dolore rumpendum cor illius, aut sensibus eum destituendum: ubi aspiceret, quantam injuriam, & contemptu, affecerit Creatorem, ac Redemptorem, Deumque, ac Dominum suum: & quam indignè, turpiterque deformaverit nobilem, speciosamque animam suam. Blosius p. 3. marg. spir. c. 2.

§. XXI.

Peccatori omnia cedunt in malum.

Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite. Ex. 1. 22. Non timeat inauditum patrare delictum, ut vitet periculum, quod fuerat stultè suspicatus. Moyses parvulus immergitur aquis; sed Dei jussu fluvius parcebat infanti; ut Pharaoni à fluvio tristis emergeret casus. Regis filia &c. Ex. 2. 10. *vocavit nomen ejus Moyses*. Hujus pueri operà usus est postea Deus, ut refractarios puniret. A fluvio, quem contra legem puerorum constituerat carnificem, emergere debebat damnum: quia à fluvio gestiebat Pharaon mutuari subsidium; ut per ipsa, quae sibi putabat commoda, ascisceret detrimenta. Naxera in Jos. 23. §. 26.

Si volueritis gentium harum, quae inter vos habitant, erroribus adhaerere jam Polyanth. Sacra, Tom. II.

nunc scitote &c. Jos. 23. 12. 13. Quae homo contra legem, ut vitae exarbit subsidia; esse solent certissima detrimenta. Stupidus est, quia ab igne exigit glaciem, qui à nive ardorem: nec minus stultus, qui à vitio mutatur commodum; & à virtute salutis putat oriri dispendium. Hanc veritatem docet Josue; dum, quae commoda ab illicitis conjugijs, ab improborum consortijs, emergent, populo pandit. *Si volueritis &c.* Naxera hic.

Venistis ad mare: persecutique sunt Egyptij &c. Jos. 24. 6. Mare Hebraeis videbatur infaustum; Pharaonis persecutioni commodum: verum adeo contrarius fuit humano judicio eventus, ut mare Hebraeos securè transierit, & digna strage absorberit Aegyptios, Idem hic. 28.

David praecipit pueris suis, ut interficerent eos. 2. Reg. 4. 8. 10. Per quae quarebant lucrum, invenerunt damnum. Id. in Jos. 23. §. 26.

Me expectaverunt. &c. Pl. 118. 95. O infelices expectatores! nescitis quid expectetis. Prosperitatem quaritis; sed adversitatem invenietis. Expectant claritatem, suavitatem, tranquillitatem; sed invenient pro temporali claritate aeternalem caliginem, pro suavitate amaritudinem, pro tranquillitate turbinem. De his tribus Il. 59. 9. *expectavimus lucem; & ecce tenebrae*. Job 30. 26. *expectabam bona, & venerunt mihi mala*. Jer. 14. 19. *expectavimus pacem. & ecce turbatio*. S. Bonaventura hic.

Collegerunt Pontifices, & Pharisei, concilium. Joan. 11. 47. Concilium ineunt, ut inferant mortem; non unde poterant accipere vitam. Mortuum quadriduanum revocavit ex mortuis. Et ob id ipsum venantur ad necem, quia mortis imperium destruebat. Et, quod eis, caeterisque Judaeis, debuit esse causa fidei, occasio perfidiae fuit. Semper enim divino, iustoque judicio agitur, ut perveris recta vertantur in malum. Sim. Cals. l. 11. c. 45.

Sicut, secundum Apostolum Rom. 8. 28. *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; ita non diligentibus Deum omnia cooperantur in malum. S. Bernardinus t. 1. l. 9. art. 1. *Diligentibus Deum &c.* in tantum omnia, ut etiam aliena mala. Odientibus autem Deum e contrario omnia cooperantur in malum ipsorum; & in tantum omnia, ut etiam bona. Guigo confid. de tranq. animi c. 13.

Cum gallina mille immunditias in sterquilino manducet, omnes ei in bonam substantiam convertuntur, quia bonae complexionis est. At verò accipitri, qui pestifera gallinam edit, omnia in malam carnem, & prorsus ad manducandum inutilem, convertuntur.

Iustus omnia in bonum, peccator omnia in malum, convertit.

Dies Peccator.

o

A 2 2

§. XXII.

§. XXII.

Peccator poenae suae auctor, & origo.

Ex Veteri.

Maledicta terra in opere tuo. Gen. 3. 17. *Benedixisti Domine terram tuam.* Pl. 84. 2. Si terra habuit benedictionem à Deo, unde contraxit maledictionem? Non à Deo, sed à peccato: *in opere tuo.* S. Hieron. in qq. Hebr. in Gen. opera hic non ruris colendi, ut plerique putant; sed peccata significant, ut in Hebraeo habetur: & Aquila non discordat dicens: *maledicta humus propter se.* Rupertus l. 3. in Gen. *maledicta terra in opere tuo*, id est, propter opus, quod est peccatum tuum. Sylveira addit. in Matth. 23.

Clamor Sodomorum. &c. Gen. 18. 20. 21. Pulchrè clamorem dixit in se habere peccata. Grandis absque dubio peccantium clamor est, qui à terra ascendit in coelum. Quare autem peccata hominum quasi clamare testatur? scilicet quia cædi aures suas Deus dicit clamoribus peccatorum, ut non differatur poena peccantium. Et verè clamor, & grandis clamor, est; quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur; ut peccantes punire cogatur. Salvianus de Provid. Dei l. 1.

Dominus pluit sulphur, & ignem. Gen. 19. 24. Nubes, quæ aquas submitunt, nonne vapores sunt? qui è terra exurgentes aeris superiorem regionem petunt, ibique densantur quousque resoluti in aquas recidunt eò, unde ascenderunt. Did. Nils. Vit. Abr. l. 8. c. 8. *Pluit.* cur non dicitur, *cecidit ignis Domini.* ut super holocaustum 3. Reg. 18. 38. Dicitur ille ignis pluvia; quia ex peccatorum vaporibus excitata. Sylveira in Matth. 24. q. 15.

Deus tuus ignis consumens est. Deut. 4. 24. Verùm quid consumit ignis ille? quid pro fomento habet? nihil Moyles assignat. Scilicet Deus ex se vim habet urendi, & puniendi; sed, nisi tu teipsum fomentum ignis efficias, nihil omninò nocebit: tu telignum, fœnum, facis; ut habet Paulus 1. Cor. 3. 12. Pinna Ethol. 34.

Maledictus eris in civitate, maledictus in agro &c. Deut. 28. 16. &c. Non dicit, à Deo maledicendum: quia licet ille iudex sit, qui contra peccatorem pronuntiet; non tamen causa est suppliciorum. *Possidete paratum vobis regnum: discedite in ignem æternum.* Matth. 25. 34. 41. Did. Nils. Pol. Cæl. p. 1. l. 7. c. 2.

Si acuero ut fulgur gladium meum. Deut. 32. 41. Iudicium, & Dei vindicta, vocatur fulgur; & gladius, qui acuitur. Ex Philosophia habes; fulguris materiam à terra vaporante in altum efferri: quasi coelum ipsum rugiens dicere posset; extraneum sibi, & peregrinum opus tonandi, & fulgurandi; cum ad illud materiam terra ipsa in se generet, & caelo in altum subministret. O terra! ô arbor!

à te securis oritur, quæ te succidit: tuis armis peris; tuò flagras incendiò, quod tibi excitas. Deinde ut Deus iudicium, & gladium, acuit. Ubi vides moram vindictæ tarditatem supplicij. Satis enim lentè lapidea moles in multos evolvitur orbès, priusquam poliatur ferrum, & acies splendescat. *Perditio tua Israel.* Os. 13. 9. Fernandus in Gen. 1. sect. 1.

Non maneat arca Dei Israel apud nos. 1. Reg. 5. 7. Videntes Azotij morbos, & mures, quibus vexabantur; coeperunt ratiocinari, undenam hæc plaga proveniret? an ab astro aliquo? an ab arca Dei? Peccatis suis hanc poenam adscribere oportebat. Dicunt: *quoniam dura est manus ejus.* Ratio hujus decreti, Arca à se removenda, fuit dolor poenæ. Non dicunt; quoniam tam injustè cepimus, quia irreverenter cum Dagone collocavimus; sed quia *dura est manus ejus.* De culpa nihil, de poena maxime, dolebant. Mendoza in 1. Reg. 5. 7.

Vos fecistis universum malum hoc. 1. Reg. 12. 20. De malo poenæ id aliqui interpretantur. q. d. vos hanc procellam excitastis, dum illi vestris sceleribus occasionem præbuitis. Id. hic.

Eccè omnes vos accendentes ignem &c. Il. 50. 11. Quid querimus, quod durè agit nobiscum Deus? multò nos durius cum Deo agimus. Vim, ut ità dixerim, facimus pietati suæ; ac manus quodammodo afferimus misericordiæ suæ. Quid ergo de poenarum acerbitate conquerimur? unusquisque nostrum se punit. Et ideo propheticum hoc ad nos dicitur: *eccè omnes &c.* Salvianus de Prov. Dei l. 4.

Ambulate in lumine ignis vestri, & in flamma, quam accendistis. Il. 50. 11. Non est ignis alterius, nisi vester; qui ligna, qui stipulam, qui materiam futuro incendio coaccervastis. Deus non facit poenas; sed ea, quæ patimur, ipsi nobis præparamus. Origenes hom. 2. in 13. Ezechiel.

In momento indignationis abscondi faciem meam. Il. 54. 8. Nota: abscondio, vel aversio, faciei Dei in Scriptura, significat, & reipsà inducit, omne malum: sic, ut illuminatio, vel ostensio, vultus ejus; omne bonum. Sicut enim sole absente, vel ob nebulas se abscondente, omnia occupant tenebræ; at eò redeunte omnia apparent lucida, læta, & viva: ità multò magis se res habet in Deo, qui increatus est, & Mundi immensus sol. Hujus solis deliquium inducunt nebulæ, id est, peccata nostra. Cornelius hic.

Ignem succendisti in furore meo. Jer. 17. 4. id est, ignem furoris mei accendisti; qui te acri, & ignitâ vindictâ persequetur. Cornelius hic.

Quæ respicit ad Aquilonem. Ezech. 9. 2. scilicet ubi peccarant idololatriâ. c. 8. 5. *sex viri*, id est, sex dæmones, ait Hieron. Sex Angeli, Theodoretus. Nota: eadem portâ, quâ Deum eliminamus, intrant ipsi lectores. *Intravit per peccatum mors.* Rom. 5. 12. Ità hic per eandem portam intrarunt Chaldei in

in urbem, per quam intraverat idololatria. Cornelius hic.

Hac dicit Dominus Deus: aufer cidarim, tolle coronam. Ezech. 21. 26. Privatus est utraq; dignitate; Pontificia, quam usurpavit, & regia; quæ erat hæreditaria: nec aliena manu, sed suamet, suis peccatis. Quia nullæ crudeliores manus inveniri poterant, quam sui ipsius. Philo l. de Confus. linguar. ita est profecto insipiens, non aliunde accipit; sed ipse sibi quærendo mala invenit. Sylveira in Act. 1. 18.

Producam ignem de medio tui. Ezech. 28. 18. Ex peccatis tuis faciam, ut pœna nascatur, quâ consumaris: sicut domus igne in ea extortis consumi, & conflagrare, solet. Did. Nifs. D. infra Oct. Nat. D. §. 2.

Ex Novo, & Patribus.

Incepavit illum Jesus. Matth. 17. 17. id est, juvenem; ut docent Hieron. Beda, Theophylactus, &c. Videtur non juvenis, sed tor-tor, increpandus. S. Hieron. increpavit puerum: quia propter peccata sua à dæmone fuerat oppressus. Sylveira in Luc. 11. c. 22.

Videbunt Filium hominis venientem in nubibus. Matth. 24. 30. Cur venturus sedens super nubem? quia nubes generantur ex vaporibus terræ: quia rigor illius iudicij ex terra, & nostrorum peccatorum exhalationibus, provenit. Sylveira hic q. 15.

Et arundinem in dextera ejus. Matth. 27. 29. Græc. calamum, qui etiam pennam scriptoriam significat, juxta Pl. 44. 2. *lingua mea calamus scribe.* Chrysof. dederunt ipsi calamum in manu, ut peccata eorum conscriberentur. Did. Nifs. D. infra Oct. Nat. D. §. 2.

Et rogabant eum, ut permitteret eos in illos (porcos) ingredi. Luc. 8. 32. An non satius Christus fecisset, si porcos occupare ipse jussisset, qui suâ virtute ab homine illos exegerat? S. Ambros. clementiam Domini debemus advertere; quod nullum prius ipse condemnat; sed unusquisque sibi auctor est pœ-næ. Did. Nifs. fer. 6. D. 2. Quadr. §. 3.

Erat Jesus eiciens demonium. Luc. 11. 14. Cur non dicitur, quod Christus sanaverit mutum; sed quod ejecerit demonium mutum? quia demonium erat in causa, quod esset mutus. Et Christus Dominus, ut bonus medicus, radicem pellit. Sylveira hic.

Ecce sanus factus es, jam noli peccare. &c. Joan. 5. 14. S. Chrysof. non tibi, dicit, quid deterius faciam; sed nè deterius aliquid tibi contingat. Salvianus l. 8. de Prov. ipse sibi parat peccator quisque, quod patitur: nos calamitatum nostrarum auctores sumus: nos ergo adversum nos omnia facimus. Nihil itaque nihil est in nos crudelius nobis. Nos, inquam, nos etiam Deo nolente, cruciamus. Dei censuram nos inardescere facimus, & peccatis nostris jugiter commovemur: nos celestis iræ ignem accendimus; & excitemus incendia, quibus ardeamus. Did. Nifs. ib.

Secundam duritiam tuam, & impiani-

tens cor, thesaurizas tibi iram. Rom. 2. 5. S. Chrysof. tu tibi thesaurizas, non Deus tibi: etenim ille omnia præstitit, quæ oportebat: qui, si inflexus manes, tu tibi thesaurizas iram. Apud Did. Nifs. Vit. Abr. l. 8. c. 8.

Multi frequenter dicunt, malò loco esse rerum, & civitatis, statum; causamque ex imprudentia dominantium esse perhibent. Ego verò dico, non Magistratùs imprudentia, sed nostrum peccatum; illud omnia subvertit, illud omnes calamitas invexit: nec aliunde rerum tristium examina nobis superfusa sunt. S. Chrysof. tom. 6. hom. de peccato. Apud Sylveira c. 18. in Joan. 9.

§. XXIII.

Peccator ipse, & peccatum, sibi pœna, hostis.

Eduxisti ab Inferno animam meam. Pl. 29. 4. Peccatum dicitur Infernus. Num. 16. 33. *descenderunt vivi in Infernum*, id est, in mortale peccatum. Quod bene dicitur Infernus propter multas rationes. Quia in peccato, sicut in Inferno, alor, & calor, sentitur: scilicet parvus timor, & concupiscentia, ardens, & inflammans. Job 24. 19. *ad nimium calorem &c.* De peccato exit fumus infamiae, vermis conscientiae; sitis, & estur; in peccato nulla requies. Hugo Card. hic.

Eripe me Domine ab homine malo. Pl. 139. 2. S. Aug. hom. 32. ex 30. fac, tibi Deum respondisse, a quo? quando dicis, eripe me. Dicitur es à Caio, à Lucio, à nescio quo; quem pateris. Et respondet tibi Deus: de te nihil mihi dicis? si ab homine malo liberem te, prius es liberandus à teipso. Apud Pinna Ethol. 85.

Alligasti nos in manu iniquitatis nostræ. Is. 64. 7. id est, propter iniquitatem nostram. ita Sanchez. Melius; in manu, id est, per manum. q. d. tradidisti nos peccato quasi lictori, cruciandos, & allidendos. Cornelius hic.

Libera nos à malo. Matth. 6. 13. S. Aug. f. 30. de verb. Ap. quid est, quod clamasti, *libera nos à malo?* responde illi: ego sum malus: & si liberaverit me à malo; ero de malo bonus. q. d. libera nos à peccato; fac, nè in peccatum cadamus: nemo enim tam hostis alteri est, quam sibi ipsi, dum peccat. Pinna ib.

Clamans & concidens se lapidibus. Mar. ci 5. 5. Ad cumulum mali meriti omnino accedit, quod homo seipsum confodiat: nemo enim malus ab alio, quam à seipso, amplius læditur. Sim. Cas. l. 5. c. 16.

Suspensus crepuit medius. Act. 1. 18. S. Leo l. 10. de Pass. meritò tibi sua pœna est commissa: quia in supplicium tuum nemo seior potuit inveniri.

Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expiravit. Act. 5. 5. Nullus hic fragor elementorum; nulla judicantis aut majestas, aut sedes; nec in valle Josaphat, sed in domo fidei morabatur. Petrus assidebat aræ, non Christus inter fulgura confidebat; nullum in

cum convitium jaciebatur; aut parabatur poena: sola illi fraudata pecunia obiciebatur turpitudine. Et tamen foeditas ipsa peccati inermis, & nuda, virum primum inter hostias, & thura, ita consternavit; ut mox corruerit victima pudoris, & poenitentia. *Oliva fer. 2. D. 1. Quadr.*

Qua nullus unquam hostis in eos perpetravit; ea libentissime, & promptissime, amplectuntur: & quod nullus unquam Judex supplicium in eos statuerit, ij illud in se ipsos attrahunt. *Theodoretus ad 1. Rom.*

Mens odiosa, cupida, curis tantummodo secularibus dedita, libidinis igne succensa; nonne tibi videtur Infernus? in quo videlicet & diabolus habitat, & concupiscentiarum ignes afluere non cessant. Inde enim de luxuria sulphureus foetor oboritur; & de cogitationum crebrescentium tenebrosa caligine, tanquam terribi fumi volumina generantur. Nam, dum hoc amat, illud timet: in alijs gaudet, hoc odit: illud avidè concupiscit, sit infelix mens, suspecta semper, & vaga, curiosa, anxiosa simul, atque sollicita; qua curis impellentibus in multa dividitur, diversarumque passionum moribus laceratur. Hac igitur febilis anima, gehenna facta est, tartarus, & Infernus: quam & cruciant tormenta curarum, viciorum vastat incendium. *B. Petrus Dam. l. 2. ep. 5.*

Intrinsicam poenam malefactor pertulit, dum deliquit: cum eo ipso quisque puniatur interioris, quò consentit facere, aut perficit facinus. *Sim. Cas. l. 15. de just. Christ.*

§. XXIV.

Peccatoris mala securitas.

Symbola, & Similitudines.

Comparatur somno, & lecto.

Heli jacebat in loco suo. 1. Reg. 3. 2. Sept. dormiebat. Ostenditur ejus negligentia, & remissio animi; qui tam gravibus minis, velut tonitruis, de caelo terribus non vigilavit. *Mendoza hic.*

Proiecit se, & obdormivit. 3. Reg. 19. 5. Miraris, quòd Elias reginae persecutione jactatus, in aperto campo dormire potuerit; aut Petrus in carcere. *Act. 12. 6.* Sancti erant. Mirare potius, dormire potuisse Saulum, Holofernem, Sisaram: & tamen hodie dum innumerum lethali noxà polluti somno se credunt, quasi securi de vita. De quibus *Il. 51. 20. dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus, pleni indignatione Domini.* Scribitur: in Africa dari belluas, Oryges dictas, quasi tauros sylvestres, tam stolidæ suarum virium fiducia; ut, cum in retia venatorum inciderunt, dormire praesumant, nec equorum hinnitu, vel canum latratu, excitari se sinant; ut expediti laqueis fugiant. Dormit Samsonis instar. *Judic. 16. 19.* in sinu scortorum; dormitis in lectis eburteis pleni indignatione Domini, & periculum non timetis. *Segneri l. 1. die Cin.*

Verbum iniquum - nunquid, qui dormit, non adjicet, ut resurgat? Pl. 40. 9. q. d.

qui in somnum lethalem per peccatum mortale incidit, nonne ille evigilare ab illo somno ad vitam gratia potest? nonne peccator converti? apud Hug. Card. alia versio habet: *verbum diaboli constituerunt adversum me.* Cur id vocatur verbum diaboli? Hugo: verbum diaboli fuit: *nequaquam morte moriemini Gen. 3. 4.* & modo per adulatores, qui sunt organa ejus, dicit, nequaquam adhuc moriemini: potestis modò bibere, & comedere: vos estis adhuc juvenes; quando senueritis, tunc facietis poenitentiam. Dominus verò in-clamat: *hodie invocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Pl. 94. 8. Did. Nis. Pol. eel. p. 2. l. 4. c. 5.*

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris. Pl. 87. 6. Non dicit, eos dormire in lectis, in quibus dormiunt vivi; sed *in sepulchris*, ubi dormiunt mortui. Jonas in tempestate dormit. Tot in periculo, hora mortis incertus, securus dormis? somnians non formidat; quæ formidare debet; sed vana. Si astat et quis gladio evaginato, quò illum perimat, non metuit. Somnians autem, se esse in periculo, timet; licet securissimus in lecto jaceat. Multi timent ærumnas hujus vitæ, tanquam vera mala: quæ nihil sunt, nisi phantasma; & non perhorrescunt tormenta Inferni, in quem in perpetuum præcipitabuntur. *Stella de cont. &c. p. 2. c. 43.*

Cum dormiente loquitur, qui enatrat stulto sapientiam; & in fine narrationis dicit: quis est hic? *Ecl. 22. 9. q. d.* sicut dormiens audiens se excitantem, dicit, quis est, qui me excitat? quid loquitur? quid vult? ac mox rursus somnolentus indormit: ita & fatuus, audiens sapientiam à sapiente, quasi cupidinibus suis indormiens, dicit: quis est hic, qui mihi molestus est? quia dicit: cur me à somno delictorum meorum avocat? non audio, non attendo, non capio: quia non delector sapientiâ, & virtute; sed omnis meus gustus, & delectatio, est in voluptate &c. Appositè stultus, putat peccatorem, comparat dormienti: 1. quia uti hic somno, ita ille peccato, id est, voluptati suaviter, & delictose indormit. 2. sicut in dormiente ligatur mens, & ratio; sic in fatuo funibus concupiscentiæ ligata est ratio, & prudentia. 3. sicut dormiens vivit vitam animale, non rationalem; sic & peccator. 4. sicut dormiens varijs luditur, & illuditur, phantasmatis; sic & peccator luditur specie creaturarum, & quod amat, umbra, somnia, sunt; non res, non veritas. Denique sicut pueri altum dormientes flagellis, & verberibus, à somno excitandi sunt; sic & stulti, putat impij, à veterino peccatorum plagis evellendi sunt. *Cornelius hic.*

Dormiebat sopore gravi. Jon. 1. 5. Sensit Jonas remorsus conscientia de fuga sua, quasi Deus illum persequeretur, puniretque: unde, ut hos remorsus evaderet & sopiret; dedit se sopori. Mala enim conscientia parit moerorem, moeror somnum. *S. Hieron. tropologice:* sopor Jonæ gravissimus hominem significat erroris sopore torpentem: cui non suffecerat fugere à facie Dei; nisi quâdam vecordia mens

mens illius obruta ignoraret iracundiam Dei; & quasi securus dormiret. apud Cornelium hic. Excute somnum, pellite soporem. Hæc auditis in Evangelio; & dormitis? hora est, arigendi vitam, emendandi mores, expellendi vitia; nè nos incautos inveniat tantum malum. S. Thom. Vill. conc. 1. de iudicio. Minatur Deus ignem gehennæ, spiritum procellarum; nec attendit peccator, quam propinquus sit æternæ damnationi. His iure dicas, quod nascitur Jonæ: *quid tu sopore deprimeris? surge, invoca Deum tuum.* Diez Jonas.

Cum dormirent homines. Matth. 13. 25. Dormire hominum, quod Salvator omisit exponere, inadvertentia est periculorum, & incautela contra insidias invisibilium hominum. Sim. Cas. l. 6. c. 3. Aristoteles l. de somno & vigilia: est ligamentum omnium sensuum exteriorum. Somnum vocat Euripides oblivionem malorum. Hæc est natura peccati frequentius admissi; quod hominem ligat, eumque in noxia quadam securitate constituit, ac oblitisci facit malorum impendentium. Est ligamentum omnium sensuum, omnium facultatum, memoria, intellectus, & voluntatis. Adverit hoc sapiens Prov. 5. 22. *iniquitates sue capiunt impium; & funibus peccatorum suorum constringitur.* Hilarius pro funibus ponit vocem fascijs: vel quia peccator est infans infantis, qui nihil de futuro cogitat; vel quia mortuorum nihil, ligari fascijs. Schönleben Disc. 2. D. 2. Adv. Spiritualis obdormitio, est obtenebratio sensuum, suffocatio intellectus, perditio memoriæ, voluntatis oppressio, orationis carentia, inconsideratio infallibilis iudicij, contra demones incautela, periculorum improvisio, insensibilitas animæ. Sim. Cas. l. 13. c. 13.

Petrus dormiens. Act. 12. 6. Significat in carcere peccati dormientem, inter duos entitates, scilicet Angelum bonum, & Angelum malum. S. Vinc. Ferr. l. de S. Petro ad vincula.

Ecce mittam eam in lectum. Apoc. 2. 22. id est, in Infernum, ait Rupertus, Beda, Rich. à S. Vict. Ansbertus & Primasius: lectus, inquit, est securitas, & impunitas peccandi; in qua peccator, quasi in molissimo lecto quiescens, ex uno scelere in aliud, & tandem in damnationem, ruit. Hæc securitas signum damnationis. Cornelius hic.

Est quidam somnus, qui est somnus culpæ; somnus malus, & ad statum pessimum inducivus. Nam in somno est quadam infrigidatio, quadam fumi elevatio, quadam animalis virtutis oppressio, & meruorum quinque viarum sensus oppilatio. Sic suo modò culpa facit in anima: nam infrigidat per avaritiam; fumum elevat, & perturbat, per superbiam; sed sensum oppilat, nè videnda videat per carnis lasciviam. S. Bonavent. l. 5. de adv.

Alia Symbola

Orate Dominum, ut auferat ranas à me. Ex. 8. 8. Fecit Moyses, quod poscebat; sed

non Pharaon, quod promiserat. *Videns autem Pharaon, quod data esset requies, ingravavit cor suum.* v. 15. Data requies oblationem nutrebat; expertum discrimen ulterioris metum non creabat. Plus audaciæ ad nova delicta sumebat Pharaon, quia ranas evasit; quam timoris caperet, quia sustinuit. Data salus stultam genuit fiduciam. Naxera in Jos. 8. §. 13.

Divisæque est aqua; & ingressi sunt filij Israel per medium siccæ maris. Ex. 14. 22. cœperuntque Ægyptij temerariò ausu subsequi; de quo Abul: magna audaciâ Ægyptiorum; imò maxima dementia; tanto de periculo exponere; ut mare intrare non formidarent, quod ad eorum interuersionem apertum fuerat; quod Hebræi, ad suam evasionem paratum, ingredi extimuerunt. Did. Nifs. Phœn. Græc. l. 8. c. 1.

Josue electa triginta millia virorum sortium misit nocte; præcepitque eis dicens: ponite insidias post civitatem. Jos. 8. 3. 4. Copiosus adeò exercitus, licet lentè incederet, iter sine ingenti strepitu peragere nequibat: verum Hajentes sic immerli jacebant somno, sic ex oculati dormiebant; ut nec strepitum audierint, nec mortem sibi imminetent conspexerint. Naxera ib. §. 10.

Cumque exierint contra nos, sicut antea fecimus; fugiemus, & terga vertemus. Putabunt enim nos fugere, sicut prius. Jos. 8. 5. Tale est peccatorum ingenium; ut, si imminetia mortis, aut calamitatis, discrimina effugerint, iniqua iterum non caveant consilia. Id. hic §. 13.

Egrediar, sicut antea feci; nesciens, quod recessisset ab eo Dominus. Judic. 16. 20. Samson, quia pericula sapius evaserat in cautus meretricis artes non timuit. Tertull. l. de pœnit. c. 6. ille præsumptor, cum sibi repromitteret, securus scilicet timere non potuit; sic nec pœnitentiam implevit: quia instrumentò pœnitentiæ, id est, metu caruit: præsumptio in verecundiâ portio. O quot meretricum domos frequentant! ò quot pericula provocare non timent! quia ægritudo semel depulsa, quia hostis superatus, quia discrimen elusum. De triumpho suo calamitatibus suffragantur, pœnitentiam non implent: quia instrumentò pœnitentiæ, id est, metu carent. Naxera in Jos. 8. §. 13.

Veneruntque in Lais ad populum quiescentem, atque securum; & percusserunt eos in ore gladij. Judic. 18. 27. Viri de tribu Dan nullo negotiò urbem Lais cœperunt; quod sine omni timore viveret. Magna securitas, est periculosissima animæ tempelles. Stella de cont. &c. p. 2. c. 43.

Tenuit manu dextera mentum Amasa, quasi osculans eum. Porro Amasa non observavit gladium &c. 2. Reg. 20. 9. 10. Diabolus blanditur, ut fallat. Hoc significatur in principe Joab, qui Amasam osculando interfecit. Osculum diaboli, falsa securitas peccatoris. S. Bonaventura l. 2. D. 3. Pasch.

Bibit quasi aquam iniquitatem. Job. 15. 16. Lyran: iniquitatem, sicut aquam, bibit, qui

com-

committit peccata absque frano timoris. Ille enim, qui bibit vinum, quia timet inebriari, bibit temperatè; sed bibens aquam hoc non timet. apud Novarinum in Elect. Sacr. l. 3.

De monte abscessus est lapis sine manibus. Dan. 2. 45. *conterritus est spiritus ejus, & somnium ejus fugit ab eo.* v. 1. Excidium intuens, illius oblitus est: casus illum invasit horror; & horrorem comitata est horrois oblivio. Cyrill. Jerof. Catech. 16. Daniel illi indicavit visionem imaginis: ipse viderat eam, & nesciebat. Dic, inquit, mihi visionem, quam ego vidi; & quæ sit, nescio. Simularum in favillam levi lapidis ictu conversum, regnorum celerem finem, gloriæ, pompæque, citissimè fore portendebat excidium: ast ea Nabuchodoforis est cæcitas; ut mortem intueatur, & nesciat. Naxera in Jos. 8. §. 10.

Vae pregnantibus, & nutrientibus, in illis diebus. Matth. 24. 19. August. in Pl. 39. in Hilar. Chrysof. Hieron. putant, vae illis dici: quia illæ uteri, hæ verò lactantium, onere gravatæ, fugere non poterunt. quod confirmatur illis verbis Matth. 24. 20. *orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbatho.* Cur non potius vae claudis, cæcis, agris; cum fugere minus possint? Maldonatus: prægnantes, ac nutrientes, solent in maxima securitate nuptijs, ac liberis, operam dare. quasi dicat: vae illis, qui in delicijs, & securitate, versantur: cum enim irruerit calamitas, fugere non poterunt. Sylveira in Luc. 16. Hyemem peccata vocat, & Sabbathum securitatem. Dicit ergo, vae animæ in peccati securitate, vel socordia, constitutæ. S. Athanas. q. 83. Judæi in Sabbatho ab omni infortunio se liberos putabant. Sylveira in Matth. 24. q. 8.

Catus cum mure capto prius ludit; tum occidit, & edit. Sic ludit cum peccatore daemon; ostendens peccatum esse leve, Deum misericordem, impossibile non peccare, facilem poenitentiam &c. Et ubi sic illudit trahendo ad opus, spiritualiter occidit. Geminiani l. 5. c. 39.

Exempla ex Veteri.

Consuerunt folia ficus. Gen. 3. 7. Ab hac infelici, & maledicta ficu, folia, quibus se tegant, colligunt peccatores; cum vanas spes (folium enim spei Symbolum est) longioris vitæ animò concipiunt; ut interim sine ullò timore mortis in omni scelerum genere volutentur. Fernandus hic.

Duo, & duo, ingressa sunt ad Noe. Gen. 7. 9. Quis ad Noe adduxit animantia? forsan ex nimia felicitate, & abundantia fructuum, ad calamitatis prælagium, quasi duce naturâ, ducebantur. O quam stulta hominum in serenitate calamitas! Alcuinus l. 4. de diluvio:

Tunc iussæ accurrunt volucres, dum bestia
quæque
Deposita feritate venit, seseque tenendam
Ingerit occurrens; & libertate relicta,
Occludi gaudet. Tantum decreta futuri

Vis valet! occultus brutis in sensibus ardet

Terror, & expectans agitat formidine mentem.

Ast homines, quos fors certi discriminis urget,
Vicina nec morte pavent.

Rogatus Polemon, cur canis, accepto osse, properet loco mensæ? respondet: ex abundantia annona præfagit verberum irruptionem. O insensibilior cane! qui ex abundantia voluptatum non præfagit verbera. I. Reg. 17. 43. *Nunquid ego canis sum?* ajebat Goliath: quasi ad canem existi cum lapidibus, & virga. S. Chrysof. hom. de David, & Goliath: si canis fuisses, nunquam dimicantem contra te Dominum provocasses; sed ut canis interitura futurum, & dignum supplicium metuisses. Pejor es cane, qui nec virgam meam; nec lapidem, quò moriturus es, pertimescis. Escobar tr. 5. Proph. Chr. l. 9. sect. 1. obs. 4.

Uno tantum gradu ego, morsq, dividimur. I. Reg. 20. Peccator potest dicere, sicut David: non enim est, nisi unus gradus, scilicet mors corporis inter peccatorem, & mortem animæ. Hugo Card. in Pl. 15.

Percussimus fœdus cum morte. Il. 28. 15. q. d. sic vivitis, & sic securè futuram Dei ultionem rideris; ut ipsa vestra securitate clamare videamini: *percussimus fœdus* &c. hoc est, securi sumus à morte, & inferno; acsi cum eis fœdus iniissemus. Cornelius in Hierogl. hic.

Ista est dies, quam expectabamus. Thren. 2. 16. Suam hic diem habet anima perversa, quæ & transitorijs lætatur bonis; cui ea, quæ sunt, *ad pacem* sunt. Luc. 19. 42. quia, dum ex rebus temporalibus gaudet, dum honoribus extollitur, dum in carnis voluptate resolvitur, dum nullâ venturæ iræ formidine terretur; pacem habet in die sua: quæ grave damnationis scandalum habebit in die aliena; cum pro suis iniquitatibus tradetur adversarijs, qui suis eam poenis circumdabunt, & cruciatibus. Nec jam tunc juvabit aliquid, quidquid in præteritis de terrena felicitate habuit; sed ibi affligenda, ubi iusti lætabantur. Et cuncta, quæ modo ei ad pacem sunt, tunc in amaritudinem tormentorum vertuntur: tuncque rixari secum incipiet, cum damnationem, quam patitur, non expaverit, cur à prospiciendis malis sequentibus oculos mentis clausit. Unde dicitur ei: *nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Luc. 19. 24. quia mens voluptatibus resoluta abscondit sibi mala sequentia; dum videre futura refugit, quæ perturbant præsentem lætitiâ. S. Paschasius hic.

Audiunt sermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum oris sui vertunt &c. Ezech. 33. 31. Expectate: & hora, quam non putatis, erit supercha. Quando Balthasar fatalis in pariete manus indicio mortis nuntium accepit? nonne, cum minimè putaret? Dan. 5. 5. Nabuchodonosor quando vocem cælitus lapsum audivit, quæ ad bestias, & sylvas, damnatus est? Dan. 4. 28. nonne dum minimè timebat, & inter assentatorum turbas regni sui magnificentiam superbè jactaret? Antiochus

chus quando morbo execrabili percussus, & in desperationem actus? 2. Machab. 9. 4. 5. nonne cum sui securus, fastuque tumens, conscenso curru Jerosolymæ immineret, & excidium minaretur? Quando Sennacherib 4. Reg. 19. 37. Jezabel 4. Reg. 9. 32. 33. quando intentas sibi à Deo minas; quod à canibus devoranda esset, adimpleri experta est? nonne cum, excluso omni Dei timore, ad palatij sui fenestras compta, & superba confisteret? Segneri f. 6. f. 2. D. 1. Quadr.

Ex Novo.

Mitte te deorsum. Matth. 4. 6. Timenti homini ruinam tuta omnia tentator promittit: *in manibus portabunt te.* Misericordiam Dei ob oculos ponit, quæ in manibus è peccato illum tollat; nè forte æterno igni mancipetur. Barradius t. 2. l. 2. c. 11. D. 1. Quadr.

Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Luc. 12. 19.

Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, &c. Luc. 19. 42. quorum verborum hic sensus est: si prævideres jam, dum pacem habes, dum indulgenter tractaris, quæ tibi eventura sunt; etiam tu fleres, & penitentiam ageres. S. Gregor. hom. 39. in Evang. perversa anima rebus præsentibus dedita, in terrenis voluptatibus resoluta; abscondit sibi mala sequentia: quia prævidere futura refugit, quæ præsentem læticiam perturbant. Dumque in præsentis vitæ delectationibus se deserit, quid aliud, quam clausis oculis ad ignem vadit? apud Schönleben Disc. 11. D. 9. Pent.

Qui ambulat in tenebris, nescit, quod vadat. Joan. 12. 35. Ambulans in tenebris nescit Infernum, quod vadit. Si enim sciret Inferni pœnas, multo majori studio moveret, nè iret illuc; quam cavet à morte corporis, & infamia perpetua hujus Mundi. Cajetanus hic.

Cum dixerint pax, & securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient. Theisal. 5. 3.

S. Paulus Hebr. 11. 7. duas præcipuè virtutes in Noe laudat, fidem, ac justitiam. Fide Noe responsò acceptò in primis Deo fidem habuit; deinde fide plenus timuit: fides enim principium timoris. Eccl. 25. 16. Fernandus in Gen. 6. 11.

Ex Patribus, & aliis.

Peccatoribus sæpe accidit; ut, si quando unum quodlibet bonum vel minimum faciant, à malis suis omnibus respectum mentis avertant, & ex eo sese jam quasi sanctos aspiciant; obliiti malorum omnium, quæ commiserunt. Sicut evenire contra electis solet: ut, cum multarum virtutum gratiâ polleant, unum eos vel tenuissimum vitium valdè defatigans pulset. S. Gregor. l. 34. mor. c. 17. apud Nissemum Phœn. Græc. l. 8. c. 1.

Polyanth. Sacra, Tom. II.

Nihil est infelicius felicitate peccantium; quæ pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior roboratur. S. August. lib. epist. ep. 5.

Expedite rudentes, vela suspendite: tranquillitas ista tempestas est. S. Hieron. ep. ad Heliodorum.

Luge peccatorem felicem: gladius enim justitiæ ipsi imminet. S. Nilus Abb. Cap. Paracet.

Negligentia in graviore periculo, non tam securitatis est, quam desperationis, indicium. S. Bernardus f. 10. in Ps. *qui habitat.*

Quid tam timendum, quam potestas, cui non potes resistere? quam sapientia, cui abscondi non potes? Poterat minus timeri Deus alterutro carens. Nunc autem perfecte oportet timeas illum; cui nec oculus deest, videns omnia; nec manus, potens omnia. S. Bernardus l. 5. de confid. ad Eugen.

Una securitas est, nunquam esse securum: quatenus timor se observans reddat semper paratum; donec securitas succedat timori, non timor securitati. Guaricus f. 3. de adv. Dom.

Ecce ardet Infernus sub pedibus inhians, atque ad devorandam miseram animam aperuit: & jam peccator ipse deputatus est ad illum; & solum pendet ex tenui filo vitæ præsentis, quod tam facile rumpitur. Et miser ridet, comedit securus, & gaudet; neque est sibi cura de remedio. S. Thom. Vill. f. D. 3. Quadr.

Clamat Jesus voce magnâ: *Lazare veni foras.* Joan. 11. 43. quia non nisi magnò terrore aspirantis Dei, & de futuro judicio comminantis, exterritus, malè securus peccator ad cor suum reducitur. S. Rupertus in Joan. 11.

Terreat te timor judicij terribilis, metus gehennæ, laquei mortis, dolores Inferni, ignis urens, vermis mordens, sulphur foetens, flamma tartarea, & tandem omnia mala; ut tandem clames: in æternum non peccabo. Hugo à S. Vict. l. 3. de anima.

Gravissimum peccatoris periculum, quod ante portam Inferni dormiat, comedat, ludat: quia nihil est inter animas peccatorum, & Infernum; nisi porta fragilis, scilicet corporis: quæ per mortem fractâ in puncto ad inferna descendunt. Broymard. Peccatum.

§. XXV.

Peccatorum mala lætitia. Pleraq; Symbolicè. Ex Veteri.

Cur ignorante me, fugere voluisti? Gen. 31. 27. ait Laban. Diabolus vult peccatorem securum, lætum; nè adveniat pericula sua. Stella in Luc. 6.

Tristemiq; delinquit blanditijs. Gen. 34. 3. Hoc summo perè curat diabolus; ut salubrem tristitiam amoveat ab anima peccatrice. Hugo Card. hic.

Et surrexerunt ludere. Ex. 32. 6. saltando, canendo, &c. Vide carnalium hominum cœcitatem, qui in peccatis suis securi delitiantur, ludunt.

B b b

ludunt, & exultant, cum eis imminet vindicta Dei, Cornelius hic.

Non mittet in eam oleum. Levit. 5. 11. Vetatur oleum in sacrificio pro peccato: quia peccator expers est latitiae, & lucis. Oleum enim latitiae, & lucis, est symbolum. Cornelius hic.

Latantesq; per convivium, sumptis jam epulis, praeceperunt, ut vocarent Samson, & ante eos luderet. Judic. 16. 25. Samson caecus ductus est inter Philistaeos, ut saltaret. Qui serviunt Mundo, caeci sunt, nec miserum suum statum agnoscunt; itaque tripudiando descendunt ad Infernum. Saltant ad numeros citharae, ad modulos daemones, Mundi, affectuum &c. Stella de cont. &c. p. 2. c. 73. Philistaei captum Samson, & caecum, volunt tripudiare. Id. in Pf. 136.

Sic in tenebris, quasi in luce ambulant. Job. 24. 17. Aeli dicat: ita gaudent in nocte peccati, ac si eos lux justitiae circumfundat. Vel: in praesenti caecitate ita laeti sunt; aeli jam aeternae patriae luce perfruantur. Hugo Card. hic.

Illic interrogaverunt nos - hymnum cantate nobis de Canticis Sion. Pf. 136. 3. Sicut Babylonij volebant, ut Hebraei in captivitate concinerent, & hilares essent: ita diabolus plurimis modis curat; ut peccator in miserissima peccati servitute delesteretur, & quieteat: ut illum sub sua potestate securius ducat. Sed responde: *quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena?* v. 6. Diez D. 3. Quadr. Inimici animae suadent, ut in hoc saeculo, & valle lacrymarum, hilares simus: ne forsan meditantes miseram captivitatem ad patriam aspiremus. Stella in Pf. 136.

Latantur, cum male fecerint. Prov. 2. 14. Tales similes sunt illis, quos in Apulia videmus, morsos a tarantulis, continuo saltare, tripudiare, & tripudiando emori. Sic Turcae in honorem sui Mahomer solent se in orbem gyrare; donec, deficiente spiritu, & mente, corruant: illamque vocant choream Angelorum. Quibus aptes illud Pf. 11. 9. *in circuitu impij ambulant.* Cornelius hic.

Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis. Il. 9. 2. Qui male agit, & de malo dolet, is in tenebris est; & nondum fedet, sed ambulat adhuc. At, qui laetatur, cum male agit; is fedet in tenebris: quia peccatis affuescit. Hic status est planè mortis, & Inferni. Stella in Luc. 2. 9.

Nabuchodonosor Dan. 3. 5. statuam voluit adorari; dum plurima instrumenta musica resonarent. Stella in Luc. 6. 21. Statuam adorati inter sonum musicae cupit: ut sensibus attoniti pericula nostra non videamus. Id. in Pf. 136.

Ex Novo, Patribus, & alijs.

Cum vidisset tibicines, & turbam tumultuantem. Matth. 9. 23. Principis Synagogae filia erat mortua, & domum defunctae cantores, ac magnus populi strepitus, compleverunt. Christus autem non prius intravit, ut illam suscitaret; quam tibicines existissent. Cave, ne in peccato mortuus huic vanae Mandi latitiae locum tribuas; & mala tua, vani gaudij dulcedine inebriatus, non sentias. Stella de cont. p. 2. c. 75.

Ut homines agri, cum multis febribus aguntur; si in aquas semetipsos frigidas immerferint, ad praesens quidem aliquid videntur quasi solatij; multiplicatas verò febrium flammis sibi reparant. Sic & nos agimus; cum conscientiae stimulis agitatur; si mere externas gaudij, & latitiae, causas quaeramus. S. Chrysof. hom. de compunct.

Anceps ex omni parte vita, certissima mors: certa dijudicatio de jam actis, infallibilis sententia judicis: & finalis terminus omnino sub ignorantia est. Quis ergo aget diem festum sub tanta trepidatione malorum? quis invenire sataget Mundi risum? quis exultabit in festo, Deo infesto? nisi amens; aut aliam vitam desperans; seu qui somniantium semper similitudinem gestat. Sim. Casl. l. 11. c. 25.

Sicut cantus oloris signum est imminenti mortis; sic, cum peccatores exultant ob peccatum, praesagium est, supplicium eorum instare. Diez D. 20. Pent.

Atratum coelum est, & terra lascivit? thronus pallet, & patibulum vernat? in regia filij contabescunt; & in carcere perduelles epulantur, & cantant. Nunquam terribus morales delirarunt. Adhibitas quis non miretur citharas in naufragio? periclitaris non capite, sed aternitate; & tripudias? Oliva l. 11. Strom. §. Erunt signa. &c. Luc. 21. 25.

S. Thomae Aqu. teste Ribad. 7. Martij, mirum videbatur, posse hominem alicujus culpae lethalis conscium, eò damnationis aeternae periculo, ridere unquam, & laetari.

Philippus III. Hisp. rex dixit mirari se, quomodo mortalis peccati reus dormire aliquando posset. Ita refert Hieron. à Florent. S. J. qui accepit ab ejus ore.

§. XXVI.

Peccatori difficilis poenitentia.

Ex Veteri.

Reversui, quaecunque fecit Amalec Israeli &c. 1. Reg. 15. 2. Amalec significat vitium post baptismum; Pharaon ante baptismum. Hinc observat Origenes hom. 11. in Exod. sicut Pharaonem, & Egyptios, non Israel debellavit, sed Deus ipse. Ex. 14. 14. *Domineus pugnabit pro vobis! & vos tacebitis.* Sic peccata, ante baptismum contracta, à solo Deo in baptismo abluuntur. Contra verò,

verò, sicut Amalecitas, Josue pugnando, & Moyses orando, superavit; Ex. 17. 10. 11. ita peccata post baptismum facta, magnò nostrò labore, confitendo, pœnitendo, satisfaciendo, remittuntur. Mendoza hic.

Media pars juvenum faciebat opus, & media parata erat ad bellum. 2. Esdræ 4. 16. Innocentiæ domum struimus; sed cum Esdræ collapsam aliquomodo reparamus: non modò strepitus ferre oportet, sed & pugnas: simulque milites esse decet, & fabros; æque hostibus expositos, ac operi intentos. Nimirum non instauratur sine sudore semel collapsa innocentia. Oliva t. 2. Strom. §. Domine quid multiplicati &c. Pf. 3.

Eduxit me de lacu miserie. Pf. 39. 3. id est, de peccato; quod dicitur lacus: quia, sicut de facili cadit homo in lacum, sed non de facili exit; sic in peccatum de facili cadit, & per se; sed non de facili; nec per se, resurgit. Hoc significatum est in hoc, quòd filij Israel de facili ingressi sunt in Ægyptum; sed cum maxima difficultate exierunt: & non per se, sed Dei auxiliò. Hugo Card. hic.

Psalms 50. habet titulum *in finem*. Theodoretus ex Græco vertit *ad victoriam*. In quo maximè psalmo deslet peccata; ideo aptus titulus *ad victoriam*: quia nulla major victoria, ut illa, quam per pœnitentiam obtinet homo à peccatis. Sylveira Addit. in Matth. 1.

Expoliavi me tunicà meà. Cant. 5. 3. Et si vocatio peccatoris ad pœnitentiam tam suavis sit, totque rationibus fulsa, ut mox illi oporteret parere; non desunt tamen, qui renuant: quorum nomine dicitur, *expoliavi me* - id est, gratià, charitate, & virtutibus mihi concessis: exui me tunicà bonorum operum; *quomodo induar illà?* *travi pedes meos*, assuescens rebus suavis, & mollibus; *quomodo inquinabo illos?* nolo eos iterum sordidis, & austeris, pœnitentiæ operibus inquinari. de Ponte hic Exh. 10. §. 1.

Ve, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. If. 5. 18. Peccatum vocat vanitatem: quia, ut ait S. Hieron. facientibus peccatum facile texitur; & ad eò inane in se est, ac futile, uti aranearum tela: sed, cum inde exire voluerimus, solidissimis vinculis neclimur. Peccata ergo sunt funes. 1. quia fiunt ex filis, id est, ex rebus, & voluptatibus vanissimis, & levissimis. 2. quia distorta sunt, ut funes. 3. quia invicem connexa. Chaldaeus vertit: *ve qui incipiunt paulatim peccata; augentque, ut crescant, & fortia fiant, ut vinculum plaustrì.* Cornelius hic.

Descendit itaque in cœnum. Jer. 38. 6. Quis non putasset actum de Jeremia, cum communi regis, & principum, consensu in lacum projectus est? at Deus ei affuit, ut promiserat c. 1. Jeremias gerit personam peccatoris, qui in lacum peccati lapsus est, & ex eo resurgere nequit; sed extrahendus est, Cornelius hic.

Aquila grandis magnarum alarum. Ezech. 17. 3. Sub diversis figuris proponitur Nabuchodonosor: nam etiam Dan. 4. 30. *fanum ut bos comedit.* Si aquila, cur & bos? *Polyanth. Sacr. Tom. II.*

Dicitur aquila à rapacitate. Venit ad Libanum, id est, Jerosolymam, ut explicat Hieron. Rupert. Hugo, Carthuf. diripiens sacra vasa. Species verò bovis in eo cernitur, cum pro superbia sua ad pœnitentiam adducitur. En hominis genium ad malum: ad rapinas, ut aquilam; ad pœnitentiam tardigradum bovem. Sylveira addit in Matth. 4. q. 2.

Ex Novo, & Patribus.

Tetigit eum, dicens. Matth. 8. 3. Lepra corporis vel levi tactu divinæ manûs fugatur: non sic maculæ animæ; egent ferrò, & igne. Recedunt jussu Domini saepe morbi è corpore; sine cooperatione hominis non sic morbi animæ. Ut If. 6. 6. Os purum redderetur, quod opus? qui labor? accessit unus è Seraphim, & forcipe tulit prunam de altari. Bæza t. 2. l. 9. c. 4.

Et ecce terra motus factus est magnus. Matth. 28. 2. Ut homo caderet à felici statu, serpens invitat, paradus allicet, pomum lenocinatur; aura, tellus & omnia, se placida exhibent aspectui: ut verò homo resurgat à sepulchro, magnus sit terræ motus, multa difficultates. Sylveira hic q. 9.

Erat eiciens demonium. Luc. 11. 14. Graves authores hoc ajunt denotare aliqualem moram. Diabolus, & vitium, momentò ingreditur; cum mora, & ægrè, eicitur. Sylveira hic q. 1.

Facilius inveni, qui innocentiam servârunt; quàm qui congruè egerint pœnitentiam. S. Ambros. l. 2. de pœnit. c. 10.

Meliùs est, peccatum cavere, quàm emendare: faciliùs enim resistimus hosti, à quo nondum victi sumus; quàm ei, à quo jam superati, ac devicti agnoscamur. S. Isidorus l. 2. sent. c. 23.

Infirma ad bonum est humana natura, posteaquam semel per vitiositatem enervata est: non enim ita facile à malo rursus ad bonum homo convertitur, ut à bono ad malum accessit. S. Gregor. Nyss. or. 4. in or. Dom.

Difficilis prorsus res, & soli divinæ virtuti possibilis; exceptum semel peccati jugum à cervicibus excutere. S. Bernardus s. de triplici miseria &c.

Quantò gradus altior, tantò casus deterior. Hinc est enim, quòd multò difficiliùs renovatur ad vitam: ad unius criminis lapsum quilibet Christianus, quàm qualiscunq; Infidelis, quotlibet criminibus obnoxius. Rich. à S. Vict. l. de Verbo Incarn. c. 14.

Divinam potentiam evidentiùs nihil manifestat, quàm justificare impium. Idiota l. 3. con-templ. c. 1.

Quilibet actus peccati aliquid adimit de fortitudine, & habilitate ad bonum, S. Bonaventura in Thr. 1. 4.

§. XXVII.

Peccator est brevioris vitæ.

Impius, antequam dies ejus impleantur, peribit. Job. 15. 32. Et c. 22. 16. iniqui sublati sunt ante tempus suum.

Quomodo facti sunt in desolationem; subito defecerunt; perierunt propter iniquitatem suam. Pf. 72. 19. Morde subitaneâ Pharao, Israelitæ cupientes carnes, terrâ promissâ detrahentes. Ipsa vitia mortem accelerant gulâ, libidine, maledictiâ ab inimicis, curâ ambitionis. Segneri l. 1. die Cin.

Anni impiorum breviabuntur. Prov. 10. 27. Nolite fidere: licet enim mortem videatis insidentem equo strigoso, pallido, macilentio, ut Joannes vidit Apoc. 6. 8. armata tamen venit calcaribus; quibus sonipedem suum ad velocissimum cursum stimulat. *Stimulus mortis peccatum.* 1. Cor. 15. 56.

Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus; sed quasi umbra transiant, qui non timeant faciem Domini, Eccl. 8. 13. Quod ait, non prolongabit diem in umbra, ita intellige: peccator diu non erit in vita: quia videlicet totum tempus vitæ suæ, quantumvis longum sit, non reputabit esse umbram; sed sollicito studio sibi comparare studuit, quæ fluxa, & temporaria, sunt; tanquam essent perpetuo duratura. Olympiodorus hic.

Ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos. II. 38. 5. Sicut Deus Ezechia ob pietatem adjecit quindecim annos vitæ; ita eodem impijs regibus dempsit, & demit. Itâ Anastasius Imp. ait Zonaras, vidit virum terribilem cum libro, qui ei dicebat: ecce ob perverfitatem fidei tuæ, annos quatuordecim vitæ deleo. Cumque oraculo didicisset, sibi igne pereundum; cisternam multis meatibus in palatio aperuit; ut eâ ignem, si ingrueret, restingeret. Sed frustra: nam igne coelesti, putâ fulmine, est ictus. Cornelius hic.

§. XXVIII.

Dubium magnum, an peccator recepturus sit gratiam.

Dimisit corvum - & non revertebatur. Gen. 8. 7. Corvus avis tenebrosa, imago peccatoris, uti Tertull. August. Ambros. Clem. Alexandrinus. Multi peccatores non revertuntur ad arcem quomodocunque invitati. Incertô Auth.

Corvus dimissus, & non reversus, figuram peccatoris tenet ad regnum Dei non revertentis. V. Beda hic.

Mulier quid ploras? quia tulerunt Dominum meum, & nescio, ubi posuerunt eum. Joan. 20. 13. Cum Deus nobis per peccatum aufertur, summè timendum: eò quòd ignoremus, an non æternum ablati sit. Hæc in Magdalena justî planctûs causa: non solum, quòd ablati sit; sed quòd ignoret, ubi positus? an eum sit receptura? Divini spiritûs mores hi sunt. Joan. 3. 8. *Spiritus, ubi vult,*

spirat, sed nescis, unde venit, aut quò vadit. Nescis, unde veniat? an ab austro amoris? an Aquilone odij? an misericordiam, an justitiam, tibi præstiturus. Nescis & quò vadat? an ad tam parvam viciniam, ut reversurus sit? an tam longè à te recedat, nunquam ad te denuò reversurus? sapientissimè monet Gregor. Naz. or. in S. baptisma, perpendens resuscitatum Lazarum: cave, nè rursus emoriaris, funibusque peccatorum constringaris: incertum est enim, an rursus ad vitam excitandus sis. q. d. cave, iterum peccatis vitalem spiritum Christi abigere: incertum est enim, an in te rediturus sit per sanctam cogitationem; forsitan in æternum te derelinquet. Ponite vobis ob oculos fallax illud consilium, quòd nixus Samson, miserè in manus hostium devenit. Judic. 16. 20. qui, Dalila lenocinijs captus, in ejus gremio, à somno, & laqueis, securè semel, & bis, & ter se dedit; & toties incubante criminibus suis spiritu, à somno, & laqueis, se facile expediebat. Factum tandem est; quòd dum iterum fallaci gremio se dormiturus comitteret, ejus crines abraderentur. Tunc inimicorum clangore excitatus à somno confurgens dicebat in animo suo: *egrediar, sicut ante feci, & me excutiam; nesciens, quòd recessisset ab eo Dominus.* O communis hominum perditio! eò, quòd aliquoties se à laqueis mortis liberaverint, dante Dominò; non dubitant iterum illaqueari: nescientes, quòd Dominus recesserit; & an velit iterum reverti. Baizat. 1. l. 5. c. 2. §. 3.

§. XXIX.


Peccatori nec sacra loca profunt; ejusdem varia pericula.

ET arca Dei capta est. 1. Reg. 4. 11. Arcâ spoliati sunt: ut intelligant peccatores, nullum sibi fore, etiam in sacris locis, contra Dei iram, munimen. Jer. 12. 7. *reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam.* Levit. 10. 2. Nadab, & Abiu, in sacris locis multantur. Num. 16. 31. Chore, cum seditiosis, ante tabernaculum igne perit. 1. Reg. 4. 18. Heli Sacerdos in loco sancto fractis cervicibus expirat. 1. Reg. 6. 19. Bethsamitæ in conspectu arcæ damnantur. Mendoza in 1. Reg. 4. 11.

O quàm horreret homo serpentem habere in ventre! & certè periculosius est, unum peccatum in corde, quàm mille serpentes in corpore. S. Bonaventura l. 4. D. 3. Quadr.

Qui diu malè vivendo, usque ad extremum vitæ sine poenitentia perseverant; tales duodecim pericula dignò Dei judicio, incurrunt: ex quibus difficillimum, & quasi impossibile, est, animam evadere cum salute. S. Bernardinus t. 1.

l. 13.



§. XXX.

§. XXX.

Peccator respiciens alios peccatores.

Peccator homo vitabit correptionem; & secundum voluntatem suam inveniet comparationem. Eccl. 32. 21. q. d. fugiet oburgationem; & ut pertinaciam suam tueatur, mille conquiret exempla, quibus se excuset, & defendat. Sed hæc illi parum proderunt: nam, ut ait S. Hieron. ep. 36. culpam numerus peccantium non minuit; & in personis, non rebus, est accusatio. S. Chrysost. hom. 29. ad pop. Antioch. aquarum venæ, etiamsi nullus veniat aquatum, manant tamen: & fontes, quamvis hauriat nemo, scatebras emittunt. Quod sui muneris est, fundunt libenter, & liberaliter, aquam; neque cogitant, utrum alij eas hauriant. Didacus Nis. Vit. Abr. l. 1. c. 3.

Manebat in monumentis. Luc. 8. 27. Scilicet mortuorum imitatus exempla. Semper enim depravatus homo sic quarit exempla malorum; ut liberius agat, quod malè disposuit; ut sibi socios invenisse videatur; nè singularis appareat in peccatis. Quarit malus exempla malorum, quibus possit esse deterior; non bonorum, quibus possit resiliens à malis ad meliora converti. Sim. Cas. l. 5. c. 16.

Scio, quia quærentes licentiam malefaciendi quarunt sibi exempla malè viventium; & multos infamant, ut socios invenire videantur. S. August. s. 2. de vita Clericor.

Nè tibi de multitudine peccantium similitum blandiaris, & dicas: non solus hoc ego egi; multos habeo socios: sed recogita, quia multitudo sociorum impunitatem non facit criminum. Nam in Sodoma, & Gomorrha; in totis quinque civitatibus, innumerabiles utique habitabant populi; & omnes pariter, qui libidinosè corpora sua tractaverunt, igneis imbris conflagrârunt. S. Ambros. c. 9. ad virg. lapsam.

Quid proderit multitudo, ubi singuli iudicabimur. S. Eucherius ep. 1. paræ.

Esse jam inter nocentes innoxium, crimen est: malos, quisquis non imitatur, offendit. Consenserè jura peccatis, & cepit licitum esse, quod publicum est. S. Cyprianus ep. 2.

§. XXXI.

Peccator infert sibi gravissima damna.

Abscondit se. Gen. 3. 8. Nota quinque peccati effectus. primis aperti sunt oculi. 2. nuditas, 3. pudor, 4. vermis conscientia, 5. metus divini iudicij. Cornelius hic.

Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Pl. 10. 6.

Qui in uno peccaverit, multa bona perdet. Eccl. 9. 18. Hebr. peccator unus multa bona perdet. Arab. cum peccaverit unus, peribit bonum plurimum. Greg. Thaum. Scultitia unius. Alij sic exponunt: parvus error in principio, nisi statim corrigatur, in multos deducit, juxta illud: clavus unus perdit equi soleam, solea equum, equus equitem, eques castra, castra Republicam. Adam

unus homo uadè inobedientiæ peccatò totam posteritatem perdidit. Achan tota castra Israel. Jos. 7. 13. Stulta duritia unius Roboam perdidit decem tribus. 3. Reg. 12. 14. 20. Cornelius hic. Unus, quisunque is demum sit, dum se peccati sordè commaculat; & bona corrumpit, quæ sibi ex acquisitis virtutibus infidebant: & multos etiam malò exemplò ad imitationem inducit. Olympiodorus ibidem.

Quod si oculi tui dexter scandalizaverint, erue eum. Matth. 5. 29. Genuinè hæc metaphora petita est à Chirurgo, q. d. sicut læsi, & acri, curant; ut chirurgus membrum etiam nobilissimum, & summè necessarium, quale est oculus dexter, & manus, excindat; si inde pendeat totius corporis salvus: ita & vos, ô Fideles mei, moneo; ut quodvis damnum prius subeatis, quàm culpam, præsertim lethalem, committatis: ut scilicet, quicquid vobis est offendiculo, trahitque ad peccatum; licet tam charum sit, & necessarium, quàm dextra manus vel dexter oculus; id planè reseccetis, quantumvis doloris, & incommodi, vobis inferat. Cornelius hic.

Joannem ego decollavi. Luc. 9. 9. Joannes est vir justus, in quo est gratia: caput ejus est Christus. Joannes ergo decollatur, quando mortale peccatum perpetratur; per quod Christus amittitur. Hugo Card. hic.

Habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione. Apoc. 17. 4. Quicumque enim per pulchritudinem, & delectationem, creaturarum allicitur ad peccatum; quasi de auro bibit venenum. S. Bonaventura s. 2. D. 3. Pent.

Dæmoniachus rex Saul furiosum peccati regnum, David autem pacatum justitiæ regnum, significat. In singulis hominibus, quamdiu non liberantur gratiâ Christi, peccatum regnat, & tanquam furiosus sessor equum subactum calcaribus urget, flagellis diverberat. S. Rupertus in 1. Reg. 21.

Habet & anima suos noxios cibos; quibus impinguata, etiam sine elscarum abundantia, ad luxuriæ prærupta devolvitur. Detractio cibi ejus est, & quidem persuavis. Ira etiam cibi ejus est, licet minimè lenis. Invidia cibi est mentis, virulentis eam succis corrumpens &c. Cassianus de cœnob. Instit. l. 7. c. 21.

Peccati perpetratio est sicut extinctio lucernæ: lucet enim peccator, antequam peccet, salutari cognitione, & vitali ardore, seu vivificâ dilectione altissimi Conditoris. S. Bernardinus t. 2. l. 12.

§. XXXII.

Peccator etiam alijs noxius.**Ex Veteri.**

Spinæ, & tribulos, geminabit tibi. Gen. 3. 18. Post violatum mandatum spina quoque, juxta Domini sententiam, è terra enata, atque amenitati rose conjuncta est: nimirum ut contempti præcepti nobis memoriam refriceret: & quod terra hac poena mulctata est, ut spinas, & tribulos, nobis proferre necesse habeat. S. Joan. Damasc. l. 2. orth. fid. c. 10. Rosa

Bbb 3

illô

illò tempore sine spinâ fuit: nam postea pulchritudini ejus adjuncta est: ut esset videlicet voluptati sollicitudo contigua, reminiscens nobis peccatum; cujus gratiâ dumos, & vepres, generare terra damnata est. S. Basiliius Cæsar. l. 5. hexam. Propter unum malum multi boni patiuntur. Quare volatilia, natantiaque, quæ quintâ die plasmata sunt, benedictione donantur? non autem terrestria animalia, quæ sextâ die? Respondet Strabus: ideo fortè, quia inter ea erat serpens. Novarinus Agn. Euch. Ex peccato Adæ sol, & luna, perdidit multum de claritate. S. Vinc. Ferr. l. 6. D. 1. Adv.

Delebo hominem, quem creavi; à facie terre. Gen. 6. 7. *Tactus dolore cordis* hoc dixit. Sed cur à Deo reptilia, & volatilia, cum homine peccante pariter delentur, aqualibus illæis? Lyran. quia peccata hominum non fuerunt facta in aquis; unde nullam contagionem contraxerunt. Creaturæ insensibiles, dum peccatoribus serviunt, pœnas peccatorum participant. Mendoza in 1. Reg. 15.

Sicut paradisus Domini. Gen. 13. 10. Annot. 21. Illa terra, quæ antè erat *sicut paradisus Domini*, postea horrida, ut Infernus, facta est. Id. ib.

Ursurperunt de anathemate. Jos. 7. 1. id est, de spolijs Jerichuntinis; quæ anathematis; id est, excidio, & incendio, à Deo erat addicta. Nota: unus Achan id fecerat; illius tamen unius peccatum toti corpori tribuitur. Ut ostendatur, quàm Deo res exosa, & invisâ, sit peccatum; utpotè quodd, ab uno admissum, tam multos irâ, & vindictâ divinâ, subjecerit. Cornelius hic.

Percute Amalec, & demolire universa ejus. 1. Reg. 15. 3. &c. Percuti jubetur Amalec, in exemplum divinæ justitiæ; quæ, sine ullâ personarum acceptione, dignitatum discrimine, pleclit; & severè, etiam res insensibiles, & in animes, quæ ullum peccatoribus auxilium ad peccatum præbuerunt. Mendoza in 1. Reg. 15. Annot. 21.

In anno, quò mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solum excelsum. II. 6. 1. Cur Isaias mortui Ozia tempus evulgat? Vult exprimerè populi commoda, quæ ex Ozia morte profluxerè. Vivente rege, peccante leproso, & non extra urbem excluso, cœlum omnibus clauditur, Deus nulli Prophetæ apparet, Verbi Dei fames invales-

cit: quia unius delictum omnibus erat exitium. Rex moritur, & cum ipsis peccata sepeliuntur: Deus statim Prophetas excitat &c. Escobar tr. 3. Coll. Chr. l. 8. sect. 1. Obs. 1.

Liberabo lanam meam, & linum meum. Of. 2. 9. Creaturæ, dum suo sine, ad quem condita sunt, privantur; imò contra Deum assumuntur ad superbiam, & luxum; naturaliter idipsum averfantur, captivantur, & vim patiuntur: ac reipsâ dolerent, gement, & de injuria protestarentur; si sensum haberent. Deus ergo creaturas, sic gementes sub hac servitute, liberat; dum impijs eas aufert, & pijs eas tradit. Cornelius hic.

Et simuerunt viri timore magnò. Jon. 1. 10. Timebant, nè & ipsi, quasi receptatores Jona, cum eo pariter à Deo comprehenderentur, ac punirentur. Nam Deus subinde etiam in populo innoxio peccata aliquorum occulta punit; ut furtum occultum Achan punivit in toto populo Hebræorum inscio, & innoxio; permittens eum cœdi à Chananæis: quia *anathema in medio tui est Israel.* Jos. 7. 13. itâ S. Hieron. apud Cornelium hic.

Ex Novo.

Nè fortè colligentes zizania, eradicatis simul & triticum. Matth. 13. 29. Cur paterfamilias tritico timeret? quia, cum zizania supplicio afficiuntur, necesse erat etiam focium triticum pati. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 4. sect. 2. obs. 10.

Ascendens in unam navim, quæ erat Simonis. Luc. 5. 3. Non turbatur ista, quæ Petrum habet: turbatur illa, quæ Judam habet. Etsi multa illic Discipulorum merita navigabant; tamen ea adhuc perfidia proditoris agitabat. Caveamus igitur perfidum, caveamus proditorem; nè per unum plurimi fluamur. S. Ambros. hic.

Preceptor perimus. Luc. 8. 24. Sicut navis illa, propter Jonam fugientem à facie Domini, erat in periculo; sic & ista propter presentiam proditoris. S. Bonaventura hic.

Pater, peccavi in cœlum, & coram te. Luc. 15. 31. q. d. delinquens omnibus exitiis extiti: cœli influxus turbavi, excitavi pestem; & in cœlum peccans in omnes peccavi. Escobar tr. 3. Coll. Chr. l.

3. l. 1. obs. 1.

